
O·J
INTER·FOLIA·FRVCTVS

# COMMENTATIONES PONTIFICALES

QUAS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM VRATISLAVIENSI

AD

VENIAM DOCENDI

RITE IMPETRANDAM

DIE VI. M. AUGUSTI A. CIƆIƆCCCLIX.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

EDUARDUS LUEBBERTUS

ASSUMPTO AD RESPONDENDUM SOCIO

GUILELMO MERCKENS, STUD. PHIL.

ADVERSARII ERUNT:

DITERICUS VOLKMANN
GUSTAVUS DZIALAS
CAROLUS DILTHEY
} SEMINARII PHILOLOGICI SODALES.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

PATRI OPTUMO

ET

FRIDERICO KRETSCHMARO

SACRORUM ANTISTITI APUD BUNZLAVIENSES

MUNUSCULUM

RE PARVUM AMORE MAGNUM.

# I. DE SACRO SANCTO ET RELIGIOSO.

1. Omnium quibus reliquis gentibus populus Romanus praestitit virtutum egregia quaedam adversus deorum immortalium numen reverentia quasi opifex fuisse videtur. Cuius rei a singulari plane sentiendi cogitandique ratione causa repetenda est, qua Romani omnem earum rerum, quibus humanum genus dis coniunctum est communionem non ut fere reliqui populi antiqui vel arbitrio deorum vel immutabili fato, sed stricto iure niti opinabantur. Cum igitur iusta et diligenti omnium legum officiorumque observatione deorum voluntas quasi pacto aliquo obligari posse videretur, mirifica illa caerimoniarum formularumque cura orta est, qua ius divinum in difficillimam paulatim artem crevit a volgi cognitione (Cic. de dom. §. 121. Liv. 4, 3.) remotam et arcana pontificum disciplina cultam et propagatam. Nec tamen nihil praeter praecepta ritualia et incredibilem in sacrificando sollicitudinem animorum ille ad res divinas impetus effecit; nam ab eodem fonte vetustissima iuris et legum instituta profecta sunt, quibus non tantum sancta familiaris necessitudinis et clientelae officia, sed iura etiam magistratuum et foedera cum finitimis populis summa cum religione in deorum fidem et tutelam tradi nec nisi

auspiciis approbantibus constitui solebant. Et omnia quidem, quae divino iure et vi religionum sancta erant, uno nomine comprehensa 'fas' nuncupabantur, quod ipsi iuri, cuius in hominum rebus vis versatur, omnis auctoritatis et sanctitatis origo est. Fas igitur in vetusta formula, qua in rebus repetendis fetiales utebantur, legatus invocabat, ut est ap. Liv. 1, 32: *audi Iuppiter, audite fines, audiat fas*. Eorum vero, quae contra religiones fierent, iuris periti duo genera distinxisse videntur, alterum culpa et nomine gravius, quo nefas committi dicebatur, quodque piaculo, si per imprudentiam factum esset, purgari oporteret. Hoc genere praetor, qui tria verba feriato die dixisset peccabat, qui, ut ait Varro l. L. VI. 30., si imprudens fecerat, piaculari hostia facta piabatur, si prudens dixerat, Q. Mucius ambigebat, eum expiari ut impium non posse. Sed vel levissimis rebus fieri poterat ut piaculum contraheretur, velut cum pellex Iunonis aram tetigisset lege Numae ap. Paul. p. 222. ed. Muell. sanctum erat, ut crinibus demissis agnum feminam caederet. Ad alterum genus referenda sunt, quae facere religiosum erat, de quo Aelius Gallus ap. Fest. p. 278[b]. sic exponit: religiosum *esse, quod homini ita facere non liceat, ut si id faciat contra deorum voluntatem videatur facere. quo in genere sunt haec: in aedem bonae deae virum introire, adversus auspicia legem ad populum ferre, die nefasto apud praetorem lege agere*, qui si accurate locutus est litigantis culpam minorem, quam praetoris putavit. Eum vero, qui universam vitae rationem ad religiones publice receptas et constitutas ita conformasset, ut eorum, quae facienda essent, nihil praetermitteret, satis laudatum antiqui putabant, si religiosum dixissent (Serv. Ge. 1, 269. Macr. 3, 3, 8.), cum

ut superstitiosum notarent, qui nugarum levitate et vanis eiusmodi terriculis commoveretur, quorum Plinius 28, 5. §. 22. magnum numerum congessit. Nigidius igitur Figulus suam tantum opinionem posuisse videtur, qui ap. Gell. 4, 9. propter inclinamentum *osus*, quod copiam quandam immodicam significet, religiosum appellari dicit eum, qui nimia et superstitiosa religione sese alligaverit, eamque rem vitio assignatam esse; nec quicquam praeterquam argutam distinctionem sectatus est antiquus poeta tragicus cuius hunc versum idem Gellius servavit: . . *religentem esse oportet,* [*at*] *religiosumst nefas.* Cum autem in subtili illa observationum religionumque disciplina plurimum semper referret, ut ab omni humani divinique iuris confusione diligentissime caveretur, duo omnino summa rerum genera iure et conditione diversissima constituta sunt: aut enim dis dicatae divinique consortii opinione sanctae et venerabiles videbantur, aut hominum commercio aptae communique vitae usu tritae et volgatae. Et illud quidem si nomine, quod ab eo quod fas est descendit, fasnum seu fanum appellatum est (Hartung Rel. der Römer 1, p. 137.), fieri non potest, quin profanum omne, quod sacrum non esset, dictum sit, quemadmodum dies, qui festi non essent, profesti. Quamquam de profano inter iuris peritos controversia fuisse videtur; Macrobio enim 3, 3, 3. teste fuerunt, qui profanum definirent omne esse, *quod extra fanaticam causam sit,* vocabulo usi pontificio iuri sollemni, ut apparet ex Paulo p. 92: *fanatica dicitur arbor fulmine icta.* Quibuscum Festus facit p. 253[a]. sive Antistius Labeo, cuius in proximis nomen frequens est: *profanum est, quod fani lege non tenetur.* Subtiliore aliquanto et cautiore definitione ii haud dubie rem enucleasse sibi visi sunt, qui ut

Trebatius lib. I. de religionibus ap. Macrob. l. c. profanum id proprie dici opinabantur, quod ex religioso vel sacro in hominum usum proprietatemque conversum esset; quibuscum Servio 12, 779. tanta consensio est, ut Trebatianae disputationis haec quasi peroratio esse videatur: *ergo non omne, quod sacrum non sit, profanum, sed quod sacrum fuerit et desierit.* Sed errandi Trebatio, nisi ipsi fallimur haec causa fuit, quod profanari dicuntur, quae ex sacris soluto religionis vinculo apta hominum usui fiunt.

Quod autem res quasdam dis consecratas profanari omnino ius fasque erat, eius consuetudinis duplex ratio fuit. Primum enim quarundam aedium legibus, quibus et quo ipsae et quo res ibi dedicatae iure essent, constituebatur, ita cautum fuisse videtur, ut si quando ad exornandam restaurandamve aedem pecunia maiori opus esset, donaria et ornamenta quae in honorem deorum ibi posita essent, vendere fas esset. Quem morem egregio antiquitatis monumento, lege aedis Iovis Liberi Furfone quae olim fuit reperta, illustrare licet, in qua haec de donis sanciuntur (Orelli 2488. Mommsen I. R. N. 6011.): *sei quod ad eam aedem donum datum dedicatumque erit, utei liceat oeti venum dare. ubei venum datum erit, id profanum esto. venditio locatio aedilis esto, quem quomque veicus Furfens fecerit, quod se sentiunt eam rem sine scelere sine piaculo. alis ne potesto. quae pequnia recepta erit, ea pequnia emere conducere locare dare, quod id templum melius honestius seit, liceto. quae pequnia ad eas res data erit, profana esto, quod d. m. non erit factum. quod emtum erit aere aut argento ea pequnia ad id templum datum erit. quod emptum erit, eis rebus eadem lex esto, quasei sei dedicatum sit.* Gliscentis contra

iam morum depravationis haud dubio indicio improbissima profanatio est, qua in apparatum belli Mithridatici primi vetustissima templorum bona, consecrati, ut videtur, praecipue agri, quorum reditu sumptus in sacra suppeditabantur, impio detestabilique consilio dis erepta et vendita sunt, ut narrat Appian. Mithr. 22.: *ἐψηφίσαντο πραθῆναι ὅσα Νουμᾶς Πομπίλιος βασιλεὺς ἐς θυσίας θεῶν διετέτακτο* (cf. Liv. 1, 20.). *τοσήδε ἦν τότε πάντων ἀπορία καὶ ἐς πάντα φιλοτιμία. καί τινα αὐτῶν ἔφθασε πραθῆναι καὶ συνενεγκεῖν χρυσίου λίτρας ἐνακισχιλίας, ἃς μόνας ἐς τηλικοῦτον πόλεμον ἔδοσαν.* Alterum profanandi genus cum sacrificiorum ritu coniunctissimum est; hostia enim deo immolata prosectisque et in mensam aramve extis redditis, quod viscerum reliquum erat in epulationem consumebatur necessario omnibus religioni futuram, nisi profanata essent, quae dapi destinarentur. Quamquam enim alia aliorum sacrificiorum ratio erat, cum modo si animali hostia, quae hominis loco mactabatur, faciendum esset, caro, ut dicit Serv. Aen. 3, 231., sacerdotibus proficeret, modo si prodigua esset hostia, teste Veranio ap. Fest. p. 250[b], a populo integra consumeretur, interdum etiam dis integra polluceretur (Serv. l. c. et 6, 253.), in plurimis tamen institutum erat, ut pars deo cederet, pars profanatione facta tanquam postliminii iure ad homines reverteretur. Recte igitur et simpliciter quid inter viscera porrecta et profanata intersit Festus exposuit p. 218[a]: [porricitur autem in mensis ar]*isque quod consecran*[dum est deo: quod profanatur] *contra id consumi*[tur a volgo profano. alii aliter sentiunt] *ut Verrius eo*[dem libro de significatione verbo]*rum. sint dicta libe*[rius, si quae contra dixero ...] *arbitratur ob eam cau*[sam profanata in fano

a po]*pulo* (*culo* cod.), *quia profana ea quoque, id est deo dicata consumi est necesse. cuius opinionem neque in hoc neque in aliis compluribus refutare mihi nunc est necesse.* Qui quod Verrium sueto magistellis supercilio vituperat, vix ipse suspicatus est quantae molis quaestionem tetigerit. M. enim Varro, quem Verrius, ut vel frusta ostendunt secutus est, universum hunc locum de iure et vi profanationis contraria plane illi, quae supra posita est, definitione circumscripsit, argumento eodem ratione usus diversa; ipsum enim nomen profanationis indicio esse, non abalienari a fano, quae profanentur, sed dicari fano, profanum enim esse, quod fano coniunctum sit. nec repugnare quod profanata consumantur, cum omne olim quod profanum fuerit, fano consumi, id est, ut opinor, pretio vendi (Serv. 8, 183. Fest. p. 351[b], 19.) solitum sit. Sed virum praeclarum ipsum disputantem audiamus de l. L. 6, p. 230. Sp.: *Profanum est quod ante fanum coniunctum fano. Hinc profanatum quod* (*quid* Flor.) *in sacrificio; atque inde Herculi decuma appellata ab eo est, quod sacrificio quodam fanatur, id est ut fani lege sit. Id dicitur pollutum* (*polluctum* Müll.), *quod a porriciendo est fictum; quom enim ex mercibus libamenta porrecta sunt Herculi in aram, tum pollutum* (*polluctum* Müll.) *est, ut quom profanum* (*profanatum* recte Turnebus) *dicitur, id est proinde, ut sit fani factum. itaque ubi* (del. Müll.) *olim fano consumebatur omne quod profanum erat, ut etiam fit, quod praetor quotannis facit, cum Herculi immolat publice iuvencam.* Quod igitur vir omnis iuris humani divinique peritissimus res profanatas fanatas interpretatur, id est cum fano eo iure coniunctas, quo fani lex res deo sacratas esse iubeat,

etiamsi a volgari ratione aliquantum discedit, ratione id tamen fecisse putandus est, neque enim quicquam praeter insignem irreverentiam Dacerius ad Fest. p. 381. prodidit, Varronem tanquam tironem aliquem obiurgans, qui in re non nimis obscura tam graviter lapsus sit. Accedit quod interdum decuma profanata Herculi dicitur, interdum pollucta nulla sententiae differentia; velut quod ap. Macrob. 3, 6, 11. Octavius Hersennus traditur bene re gesta decimam Herculi profanasse et ap. Aur. Vict. orig. g. Rom. 6, 6: *inde videlicet tractum, ut Herculi decumam profanari mos esset* (cl. Fronto p. 211. ed. Mai. Rom. 1823), idem prorsus significat, quod est in titulo Sorano ap. Ritschelium Mon. epigr. tria p. 15: [de] *cuma facta polo-ucta... donu danunt Hercolei.* In fabula quoque, qua Hercules ut ritus et religiones, quibus coli maxime vellet, auspicaretur, ad aram maximam decimam boum partem profanasse dicitur (Fest. p. 237ᵃ.), eius profanationis haec haud dubie vis est, ut boves illas fani, quod modo constituerat, lege esse iusserit. Cum autem decuma Herculi sive ab imperatoribus (Athen. IV. p. 153ᶜ. V. p. 221ᶠ.) sive a privatis (Macrob. 3, 12, 2.) profanata a populo semper consumeretur, facile suspicere, inde consuetudinem ortam esse, qua quaecunque ex proprietate deorum in hominum usum conversa essent, profanari dicerentur, quae Hartungi 2. p. 28. sententia esse videtur et eorum omnium fuerit necesse est, qui Varronis de iure rerum profanatarum placita secuti sunt. Verum obstat huic opinioni quod non tantum de donis et libamentis Herculi sacrandis, sed in aliorum quoque deorum, quibus sanctissime castissimeque in aram res pollucendae essent, sacrificiis sollemne illud vocabulum fuisse ipsius pontificii iuris et libro-

rum ritualium auctoritate comprobari potest. Cum enim boni aratoris non tantum quomodo agrum coleret frugesque conderet, sed di quoque immortales quemadmodum placandi essent, maxime nosse interesset, M. Cato in praeclaro de r. r. libello vetustissimi ritus caerimonias quasdam precationumque formulas prodidit, ne quem fugeret, qua religione Marti Silvano votum pro bubus ut valerent fieri (s. 83.), quibus caerimoniis Cereri porcam praecidaneam immolari simulque Iano Iovique fertum struemque commoveri oporteret (c. 134.), quibus verbis sacrum piaculare faciendum esset, si lucum quis conlucare aut fodere terram vellet (c. 139.), qua denique precatione cum suovetaurilibus agri lustrandi essent, Mars pater propitiari posset (c. 141.). In quibus fieri non potest, quin vir religiosissimus verba concepta et omnem sacrificiorum ritum ex pontificum libris ritualibus petierit, quo ipse nisi fallor digitum intendit c. 141. in Martis comprecatione monens: *nominare vetat Martem neque agnum vitulumque.* Erit igitur quod nobis gratulemur de egregio priscarum religionum specimine, quo sollemnem ille feriarum diem apparatumque dapis Iovi dapali pollucendae descripsit (c. 232.), cuius et verna et — id quod ex Paulo p. 68. conicias — hiberna sementis auspiciis instituenda sit. Dum enim quae fas sit polluceantur, hac prece utendum esse: *Iupiter dapali, quod tibi fieri oportet in domo familia mea culignam vini dapi, eius rei macte huc illacc dape pollucenda esto. Manus interluito. Postea vinum sumito: Iupiter dapalis macte istace dape pollucenda esto. macte vino inferio esto. Vestae si voles dato. daps Iovi assaria pecuina, urna vini Iovi caste. Profanato sine contagione.* Quae quo certius est ex libris pontifica-

libus sumpta esse, praesertim cum formulam 'macte hoc vino inferio esto', docte a Trebatio apud Arnob. 7, 31. explicatam, Servius 9, 641. p. 538. L. quoque sollemnem fuisse *in Pontificalibus* tradat, eo gravius praestantiusque videri debet quod in fine adicitur: *profanato sine contagione*, quod non potest non accipi de libaminibus tanta religione in aram porriciendis, ut ne manu quidem ea attingere fas sit. Neque enim obstat quod eandem dapem, qua rite oblata vernam sementim inchoare liceat, supra (c. 50.) profanari comedique solere dixit, nam alteram partem Iovi alteram aratoribus donatam esse probabile est. Atqui in tam vetusta sollemnique formula libamenta Iovi profanari intactas oportere dici, hoc iustae fere definitionis vim habet, ut iam illa Varronis explicatio non argutule conficta, sed summa subtilitate ex iuris divini usu petita videatur. Nec alia fuit Verri Flacci sententia, cuius ap. Fest. p. 218[a], 33. verba sic scribenda sunt: *quia profanata* (*profana ea* volgo) *quoque, id est deo dicata consumi esse necesse.* Cum igitur si optimos probatissimosque testes audias profanatio dicenda sit rerum, quae sive fano sive deo dedicentur consecratio, sin vocis originem et volgarem loquendi consuetudinem spectes, volgandi potius et sacra quae fuerint promiscua faciendi vim habeat, unum tantum quod quaeratur reliquum est, utrum potuerit ex utro natum esse. Pendet autem omnis haec quaestio ex eius, quod profanum est, definitione, nam quod Hartung statuit 1, p. 137. 2, p. 28. aliud verbo aliud nomini veriloquium esse, veri dissimillimum est. Profanum vero unquam vocatum esse, quod coniunctum cum fano esset ne doctissimus quidem harum rerum iudex M. Varro satis persuadet, qui de coniectura hoc potius, quam quo certi

quid in promptu habuerit, posuisse videtur. Cum igitur profanum, quod oppositum esset fano, profanari autem ea sacrificii pars, quam a populo consumi fas esset, vetustissimo loquendi usu diceretur, paulatim quae sunt verborum quoque fata, in profanatione magis quod tribuerentur quaedam, quam quod volgarentur spectatum videtur, ita ut ea quoque, quae in aram pollucenda essent, deo sive deae profanari homines rerum magis, quam verborum curiosi dicere consuescerent. Similiter eius, quod est dedicare quam late initio significatio patuerit Paulus ostendit p. 70: *dedicare autem proprie est dicendo deferre*, unde qui bona sua apud censores profitebantur, in censum ea dedicasse sollemni loquendi genere dicebantur. Cf. Cic. p. Flacc. §. 79. Gell. 6, 11. Quin dandi omnino vel offerendi cum quibusdam caerimoniis vim habuisse multis rerum profanarum, quae populo utendae propositae sunt, velut pontium (Suet. Cal. 32.) vel theatrorum (Plin. 8, 25. §. 65. Mazochi de tit. theat. Camp. p. 86.) exemplis demonstrari potest: paulatim tamen earum praecipue donationum, quae ad cultum deorum pertinerent, eo vocabulo ratio et ius significatum est.

2. Remotis igitur et procul esse iussis, quae in promiscuo hominum usu et commercio versantur, iam ad sanctius rerum genus disputationem conferamus, quae in deorum aut fidem ac clientelam commissae aut honorem cultumve institutae sunt. Et primum quidem ut ab eo ordiamur, cui plurimum inest sanctitatis tutelae et quasi propugnationis divinae, de sacrosancto dicendum est, cuius — id quod nomen ostendit ex parathesi potius, quam synthesi ortum — ea re maxime vis et potestas conspicitur, quod quasdam praecipuae religionis et dignitatis

leges non sueta et volgari sanctione, sed religionum munimento et sollemni divinae ultionis imprecatione firmare mos erat. Cum enim omnibus legibus sanctionem adscribi oporteret, qua ut ait Papinianus dig. XLVIII. 19, 41. novissime certa poena irrogaretur iis, qui legis praeceptis non obtemperavissent, trinis sanciendi modis effici potuisse videtur, ut quae lege sancirentur sacrosancta fierent: tot enim Cic. p. Balbo §. 33. significat, loco ipsius volneris, quo laborat, deformitate satis celebri diversissimisque hominum doctorum artificiis temptato; ubi in optimis libris haec leguntur: *Primum enim sacrosanctum esse nihil potest, nisi quod populus plebesve sanxit; deinde sanctiones sacrandae sunt aut genere ipso aut obtestatione legis aut poenae, cum caput eius, qui contra fecerit consecratur. Quid habes igitur dicere de Gaditano foedere eiusmodi? utrum a capitis consecratione, an obtestatione legis sacrosanctum esse confirmas?* Haec quam vim ad causam rei probandam habeant primus perspexit Madvigius opusc. alt. p. 33., qui rectissime, id quod antea propter pravam sententiae praecedentis lectionem fugerat omnes, oratorem docuit et ipsum negare sacrosanctis civitatium foederibus lege Gellia Cornelia (ib. §. 19.) quicquam derogatum esse, verum Balbo tamen defensionem paratam esse, quod Gaditanorum foedus sacrosanctum non sit. In singulorum autem verborum difficultate explicanda et mendis tollendis duplicem homines doctos viam secutos esse video; cum enim quae post *aut obtestatione* incommodissime addita sunt verba *et consecratione* omnium suffragiis reiciantur, in reliquis dissentiendi causa haec fuit, quod aut tria aut duo tantum sanctionum genera Ciceronem distinguere sibi persuaserunt. Et duo quidem

cum ipse orator sola agnoscere videatur, ubi qua sanctione foedus Gaditanorum fuerit ex accusatore quaerit, ut tripartitae definitionis molestia tolleretur, P. Manutius comm. p. 800. ed. Richter *ut obtestatione legis aut poena* scribi iussit, quem secuti sunt Ch. G. Schwarz de detestat. sacror. p. 31., Platner de iur. crim. p. 28. Madvigius autem opusc. alt. p. 34. *atque obtestatione* maluit probante Marquardtio Roem. Alterth. 4, p. 228. Aliis ratio quidem probabatur, de remedio dissentiebant, e quibus Garatonius primum *aut* expungit, Orellius multo etiam audacius obelo utitur, cum Schützius Ernestiusque ne de glossemate quidem *et consecratione*, quod transponendum modo sit, desperent. Verum maiorem tamen interpretum partem a codicum causa stare confitendum est, in quibus sunt Pantagathus, Lambinus, Brissonius de formul. 2, c. 19., Fulv. Ursinus, N. Abraham, Gutherius de iure pontific. in Graev. Thesaur. V. p. 111., Becker Handb. d. Roem. Alterth. 2, 2. p. 269., qui tertium membrum, quo poena commemoratur aut ablativo substituto aut addito quod supra molestum sit, *consecratione* fulciunt, quin de *personae* consecratione Nipperdeius Philolog. 3, p. 142. suspicatus est. Quorum omnium quod nemo certam satis et probabilem volgaris scripturae aut defensionem aut emendationem invenit, haec potissimum causa est, quod dum in verbis constituendis unice occupati sunt, solo Brissonio excepto, de rebus et iure minori fere, quam par fuit, cura et sollicitudine quaesivere. Primum igitur quod in codicibus extat sanctiones quasdam genere ipso sacrandas esse admonet hoc nos formulae vetustae et sollemnis inter solitas legum cautiones, qua res haud dubie genere suo, idest autem, ut opinor, nomine, quod ipsis populi iussu additum esset, sacro-

sanctae significantur ap. Val. Prob. de notis p. 122. ed. Mommsen: *si quid sacri sanctique est, quod non iure sit rogatum, eius hac lege nihil rogatur.* Eadem exceptio et ipsi legi Gelliae Corneliae adiecta fuit, ut oratoris verba §. 33. ostendunt. Accedit quod facile ad quae potissimum iuris publici instituta haec cavendi ratio referenda sit ex Livio 27, 38. conicias, qui cum in summa militum penuria delectus per maritimas quoque colonias haberetur, colonos sacrosanctas vacationes frustra obtendisse narrat, non quo quod contra fas esset exigere senatus parvi pependerit, sed quod ipsa lege excepta fuerint bella, quae in Italia gererentur. Quodsi permultae foederum immunitatum aliarumve cum civitatibus sociis pactionum constitutiones haud dubie eo iure fuere, ut sacrosanctas eas esse inter omnes constaret, cum eas sanciendi rationes, quae a Cicerone secundo tertioque loco definiuntur, quidam e iuris peritissimis — id quod infra demonstrabitur coll. Liv. 3, 55. Fest. p. 318[b]. — sacrosanctas esse negarent, illarum ut tam certa vis et conditio esset ea re effectum crediderim, quod sanctionis loco adscriptum iis fuit, populum Romanum ut sacrosanctae sint velle iubere. Neque aliud est, quod Livius l. c. de vacationibus coloniarum significavit, quibus recitatis statim quo iure essent intellectum est. At vero tam manifesta indubitataque iuris conditione foedus esse, quod cum Gaditanis L. Marcius primi pili centurio icerat, nec contenderat accusator, qui mendacium, quod ilico argui posset, aspernaretur, nec Cicero sibi refellendum putabat. Iam vero de altero sacrandi sanctiones genere videndum est, quod Cicero legis obtestatione contineri dicit, vocabulo volgari significatione usus paulo obscuriori. Nam quod Fulv. Ursinus dicit aut ius

iurandum intelligi aut irae deorum imprecationem ex parte saltem Pauli explicationi refragatur p. 184: obtestationem esse cum deus in meliorem partem vocetur. Bachius autem ad Brisson. de form. 2, c. 20. p. 130. et Garatonius, quibus iuris iurandi formula significari videtur et cum Paulo discordant et cum Plutarcho, qui morem iurandi Romanum in hanc brevissimam regulam confert quaest. Rom. c. 44: *ὅτι πᾶς ὅρκος εἰς κατάραν τελευτᾷ τῆς ἐπιορκίας.* Cum enim pleni iustique iuris iurandi haec ratio sit, ut cum obtestationis religione, qua is, qui iurat, deos sibi, si fidem servarit, propitios precatur, coniuncta, sit detestatio, qua caput suum, si sciens fefellerit, execratur, ut est in plebis iure iurando apud Dionys. 6, 89. et in sociorum apud Diodor. 37, 17. ed. Bekker: *καὶ εὐορκοῦντι μέν μοι ἐπίκτησις εἴη τῶν ἀγαθῶν, ἐπιορκοῦντι δὲ τἀναντία* (cf. Danz der sacrale Schutz p. 21.), in plerisque tamen formulis precatio omissa obtestatione in sola execratione versetur, velut in Fetialium carmine Liv. 1, 24. 9, 5., apud Ciceronem tum demum recte pro iureiurando, cuius pars tantum est, obtestatio nominari videbitur, si causae quid ostensum fuerit, cur id ita oratori placuerit. Nec sane veri dissimile est, subtili eum ratione ductum id, quo ipsum iusiurandum quasi sanciretur, declarare, detestationem autem propter malum omen silentio transmittere maluisse. In tertio sanciendi genere, quo eius, qui contra fecerit, caput consecratur, nihil ambiguum est praeter emendandi rationem, quae videtur ut *poenae denuntiatione* scribatur poscere. Ipsius autem consecrationis hac re potissimum vis et religio continetur, quod is, cuius ea poena scelus aliquod vindicandum visum esset, deorum immortalium condonatus irae traditusque ad supplicium, quod

ipsi sua voluntate et consilio statuissent, putabatur. Sicut enim periurii supplicium Iupiter ipse sollemni execrationis formula de sonte sumere iubebatur, quemadmodum est in carmine Iovem lapidem iurantium ap. Paul. p. 115. (cl. Polyb. 3, 25.): *tum me Diespiter salva urbe arceque bonis eiciat, ut ego hunc lapidem*, nec ulla praeter dedecus et relegationem a communione sacrorum humano quidem iure eius criminis poena fuisse videtur (Cic. de legg. 2, §. 22.): ita sacros homines publice a magistratibus necari fas non habebatur, privatis, quorum di quasi ministerio ad ultionem uti viderentur, fas erat, ut luculenter docet Festus p. 318[b]: *Homo sacer is est, quem populus iudicavit ob maleficium, neque fas est eum immolari, sed qui occidit parricidi non damnatur.* Cum igitur ex lege sacrata in monte sacro lata eius, qui tribunis plebis nocuisset, caput dis sacrum sanciretur, sacratum tamen hominem propter ipsius consecrationis religionem necari iubere populo fas non esset, ne unquam deessent, qui privati quod publice fieri non liceret sibi susciperent, plebs universa iureiurando sanctissimo dato fidem de ultione suam obligavit. Quae est Festianae definitionis ratio p. 318[b]: *sacrosanctum dicitur, quod iureiurando interposito est institutum, si quis id violasset, ut morte poenas penderet.* Subtilius igitur aestimantibus intererat aliquantum inter poenae sanctionem, qua caput sontis deorum immortalium irae, serius ocius superventurae, tradebatur (Macrob. 3, 7, 5.), et eius supplicii, quod maturatum iri plebs Romana iuraverat, religionem. Quae res rectissimo iudicio, quod iniuria Beckerus Roem. Alterth. 2, 2, p. 295. aspernatus est, a quibusdam e iuris peritis perspecta est ap. Liv. 3, 55., qui magistratus ea lege crea-

tos, ut sacer esset, qui eos violasset, sacrosanctos esse negabant, solis enim tribunis, quorum plebs iureiurando ultionem susceperit, si strictum ius spectetur, id nomen convenire.

3. Reliquae res, quibus vis quaedam et quasi afflatus numinis divini inesset, triplici iure fuere, cuius in quam difficili subtilique cognitione discrimina et confinia versentur Macrobius 3, 3, 1. significat, qui inter decreta pontificum hoc maxime quaeri dicit, quid s a c r u m, quid s a n c t u m, quid r e l i g i o s u m sit. Verum sciendum tamen est, non ita haec tria inter se opposita esse, quin fieri possit, ut una in re interdum coniuncta sint omnia, de quo dixerat Trebatius, cuius hanc definitionem Macrobius 3, 3, 5. (cl. Serv. Aen. 2, 686.) servavit: *sanctum est interdum idem, quod sacrum idemque quod religiosum, interdum aliud, hoc est nec sacrum nec religiosum est.* Quamquam accuratius in rem inquirenti tantum abest, ut fortuito illa et promiscuo usu vel commutari inter se vel confundi possint, ut nulla res magis, quam haec lex et ratio consociandi, id quod infra probandum erit, aequabilem artis constantiam ostendat. In ipso autem discrimine et iure rerum sacrarum sanctarum religiosarum definiendo pro fundamento erunt quae ab Aelio Gallo in libris de significatione verborum, quae ad ius civile pertinent (Gell. 16, 5, 3.), accurate disputata Festus lexico suo inseruit, de cuius fide mira hominis simplicitas spondet, qua p. 281[a]. s. v. Religiosus ipsis Aelii verbis lectorem ad ea relegat, quae de sacro *supra* exposita sint, ordinis operis sui parum memor, quo quid sacrum sit infra demum explicari poterat. Eius igitur, quod s a c r u m est, in universum quidem Trebatius vim significavit, qui ap. Macr. 3, 3, 2.

sacrum esse ait, quicquid sit, quod deorum habeatur; at quanto subtiliore cura et iudicio in eadem definitione Aelius Gallus versatus est ap. Fest. p. 321*: *sacrum esse* docens *quodcunque more* (ita Lachmannus ad Gai. 2, 5. *quocunque modo* cod.) *atque instituto civitatis consecratum sit sive aedis, sive ara, sive signum* (*solum* coni. Lachm. ib.), *sive locus, sive pecunia, sive quid aliud, quod dis dedicatum atque consecratum sit: quod autem privati suae religionis causa aliquid earum rerum deo dedicent, id pontifices Romanos non existimare sacrum.* Quod igitur res ex profana sacra fit vi et religione consecrationis dedicationisque efficitur, quarum cum sollemnes formulae et caerimoniae in arcanis pontificalis disciplinae essent, nihil apparet sacrum fieri potuisse, quin id sua illi auctoritate comprobarint et divina sanctitate quasi circumvestierint. Privatum igitur et licebat quod ipsi videretur dis dedicare, et, si voti reus esset, ne impius fieret, oportebat, sacrum vero quod dedicasset fieri per pontificum constitutiones fas non erat. Consulibus vero imperatoribusque ut quae populum universum religione tenerent, in honorem deorum instituerent et pontificibus adhibitis consecrarent potestas fuit, donec ut magistratus quoque lege adstringendi viderentur, ambitione effectum est. Cum enim, ut narrat Livius 9, 46. anno a. u. c. 450. Cn. Flavius aedilis pl. aedem Concordiae in area Volcani, coacto ut sibi sollemnia verba praeiret Cornelio Barbato pontifice, summa invidia nobilium dedicasset, ex auctoritate senatus latum ad populum est, *ne quis templum aramve iniussu senatus aut tribunorum plebei partis maioris dedicaret.* Cum qua lege tanta est eius similitudo, quam Papiriam tribuniciam vetustamque dicit Cic.

de dom. §. 127. sq., qua cavebatur, ne iniussu plebis aedes terra ara consecraretur, ut quin eadem plane sit ne illud quidem prohibeat, quod apud Ciceronem populus ut iusserit, apud Livium senatus vel tribunorum pars maior requiritur; plebis enim scitum senatus magistratuumque auctoritati postea substitutum esse, quis in tanta similium rerum conversione miretur. Pighium igitur, qui p. 378. legem Papiriam vetustiorem aliquot annis censet, quod hac ipsa lege pontifex ut adesset Flavio coactus videatur, etsi Baitero quoque Onom. p. 225. persuasit, argutari tamen crediderim, primum enim non iussu populi, sed consensu coactum dicit Livius, deinde vero in ipsa de domo oratione dubitari nequit quin cavendi potius vim Papiria lex habeat, ne temere quid vel ambitiose consecretur, quam si dedicationem aversentur pontifices cogendi. Cum enim Ciceronis domum Clodius sollemnibus caerimoniis adhibitoque qui postem teneret et verba praeiret pontifice Pinario Natta, uxoris fratre (de dom. §. 118. Perizon. animadv. hist. p. 207. Harl.), Libertati dedicasset, una tantum defensionis ratio restabat, si dedicationem contra legem Papiriam factam probasset, eius enim summam semper apud pontifices vim fuisse, exempla nobilissimorum hominum ostendunt, quorum constantissime dedicationes, quae iniussu populi factae essent, repudiatae sunt. Extabat in commentariis pontificum vetusti decreti memoria, quo C. Cassio censori (600 a. u.), cum statuam in curia curiamque ipsam Concordiae dedicare cuperet eaque de re ad pontifices retulisset, de collegii sententia ita responsum est (d. dom. §. 136.): *nisi eum populus Romanus nominatim praefecisset atque eius iussu faceret, non videri eam recte posse dedicari.* Eadem ratione Q. Me-

tello T. Flaminio coss. (631 a. u.) cum aram aediculam pulvinar sub saxo Licinia virgo vestalis dedicasset, Sex. autem Iulius praetor quo id iure factum esset ex collegio quaereret, pontifices negarunt, quod in loco publico Licinia C. F. iniussu populi dedicasset sacrum videri, senatusque praetorem curare iussit, ne id sacrum esset, et ut, si quae essent incisae aut inscriptae litterae, tollerentur. His argumentis cum Cicero causam dixisset, simile decretum pontificum secutum est, quod sibi ad Attic. 4, 2, 3. (coll. de har. resp. §. 12.) gratulatur: *si neque populi iussu neque plebis scitu is, qui se dedicasse diceret, nominatim ei rei praefectus esset, neque populi iussu aut plebis scitu id facere iussus esset, videri posse sine religione eam partem areae Ciceroni restitui.* Cum igitur antiquissimis temporibus ipsis consecrandi caerimoniis ea vis inesse crederetur, qua sacrum ex profano fieret, postea plurimum iuris periti populi suffragiis tribuisse videntur, Gaius certe quod in definitione posuit lege magis, quam religione nititur 2, 5: [sed] *sacrum* [quidem sol]*um existumatur auctoritate po*[puli Romani fieri; consecratur enim lege de] *ea re lata aut senatusconsulto facto.* Neque multum discedit Marcianus dig. 1 8, 6. §. 3: *sacrae autem res sunt hae, quae publice consecratae sunt, non privatc, si quis ergo privatim sibi sacrum constituerit, sacrum non est, sed profanum;* qui quod nihil omnino privata religione dis recte dicari dicit, id a priscis temporibus, quibus strenue sacra privata colebantur, alienum est. Quo vero clarius vetusti iuris ratio, quam Aelius Gallus adumbrare conatus est, perspiciatur, plurimum refert in caerimoniarum illarum, quibus quasi inseri rebus religio credebatur, discrimen et vim paulo accuratius in-

quiri. Interesse enim aliquid inter consecrationem et dedicationem iam illius icti definitio haud obscure ostendit, qua dedicatione sola sacrum aliquid fieri posse negat (Fest. p. 321[a], 9.). Plus contra ponderis in dedicatione esse Clodius simulabat, ap. Cic. d. dom. §. 131: *an consecratio nullum ius habet, dedicatio est religiosa?* Sunt quoque quae alteri tantum utri apta sint; in rebus enim, quae cum antea cultae publice non fuissent, dignae tamen, quae numinum loco a populo R. observarentur visae essent, cousecratione opus erat, qualia sunt, quae Cicero de legg. 2, §. 28. commendat: *bene vero quod Mens Pietas Virtus Fides consecratur humana, quarum omnium Romae dedicata publice templa sunt.* Carmina quoque ritualia, quamvis, ut ait Quintil. 1, 6, 40., vix suis sacerdotibus satis intellecta, tamen mutari, quod consecrata erant, religiosum erat (Serv. 8, 291.). Itidem homines, qui sive ad sacra curanda, cuius generis Martiales sunt ap. Cic. p. Cluent. §. 43., sive propter crimen aliquod ad ultionem deorum alicui addicebantur, sola consecratione eius numinis fiunt; ne animalibus quidem, quae deliciarum causa dis alebantur, quales sunt equorum greges a Caesare, cum Rubiconem traiceret, consecratae (Suet. Caes. 81.) dedicatio convenire videtur. Dedicari contra cum non minus vetusto loquendi usu res dicantur in hominum usum et voluptatem institutae, quam quae cultui deorum destinatae sint, fuit qui omnino religionis quidquam dedicationem habere negaret, nihil enim ea caerimonia significari, nisi quod res usui sive profano futuro sive sacro permittatur et, quemadmodum ipse vocabulo minus latino vocat, quasi encaenietur; quod vero sacrum quicquam ex profano fiat, id soli consecrationi deberi,

quae caerimoniarum et verborum conceptorum sollemnitate omnia eo ritu oblata religione et sanctitate perfundat. Haec enim brevis summa est doctae, sed prolixae disputationis de dedicationibus ap. Mazochium de mutilo Campani amphith. titulo p. 79—107. cf. praecipue p. 97. Gutherius contra de iur. pont. p. 149. in hac quaestione, quod certum sit, inveniri posse desperavit. Et accidit sane perincommode, quod cum hoc maxime scire intersit, qui rite dedicare, qui consecrare potuerint, mira quadam loquendi inconstantia vel apud optimos scriptores utrumque pariter modo de pontificibus, modo de magistratibus usurpetur. Nam ut in paucissimis subsistamus, imperatoribus morem fuisse ait Cic. de dom. §. 128., ut agros de hostibus captos *consecrarent;* cum Cato ap. Prisc. 4. p. 629. lucum Dianium dictatorem Tusculanum *dedicasse* narret; Metellum contra pontificem, cum consecratio maxime conceptis pontificum verbis contineri videatur, tamen in *dedicanda* aede Plinius dicit (11, 65. §. 174.) molestissime propter linguae vitium verba concepta praeivisse. Civium denique permultorum bona a solis tribunis nullo pontifice adhibito consecrata esse Cic. de dom. §. 123. testis est. Ne Ateio quidem tribuno pl., qui Crassi caput dis iratis consecrare ausus est, pontificem adfuisse Plut. Crass. 16. significat. Quid quod in lapidibus privatorum hominum nomina inveniuntur, qui aras se et consecrasse et dedicasse praedicent ap. Grut. p. 12. n. 1. *I. O. M. p. salute imp. L. Septimi Severi et M. Aureli Antonini... M. Firmidius... consecravit item dedicavit.* et ib. p. 14. n. 16. *I. O. M. Atinatia Elpis dedicavit et consecravit.* Neque tamen iniuria Marquardt p. 227. sic sibi de eius discriminis ratione persuasit, dedicari aedem a magistratu,

qui ei rei a populo praefectus sit, consecrari a pontifice, qui postem teneat, verba praeeat, caerimonias doceat; quin ullam rem nisi pontifice adhibito recte consecrari potuisse, etiamsi tribunorum quorundam contra, quam fas fuit, id sibi sumpsit arrogantia, negandum tamen est. Cui rei argumento sunt non tam loci a Marquardtio l. c. allati, quorum, ut reliquorum, ambigua auctoritas est, quam quod Aelii Galli definitio vel privatos rite deo rem dedicare posse significat, verum sacrum id pontifices non existimare. Fuisse tamen etiam dedicatorum a privatis sive locorum sive rerum religionem quandam celebratae dedicationis exemplo demonstrari potest, in qua ne dubitandum quidem est, quin pontifices adhibiti non sint. Livio enim teste 10, 23. Verginia L. Volumni consulis de plebe uxor cum a patriciis matronis sacris patriciae Pudicitiae, cuius in foro bovario aedicula erat, arceretur, in vico longo, ubi habitabat, ex parte aedium quod satis esset loci modico sacello exclusit aramque ibi posuit, et convocatis plebeiis matronis, conquesta iniuriam patriciarum, *hanc ego aram,* inquit *Pudicitiae plebeiae dedico.* Cuius numinis publice cultum curamque fuisse probabile non est, quod, ut ait Livius, volgata dein religio a pollutis postremo in oblivionem venit. Quod autem mulier tantae religionis rem sua voluntate rite administrare posse visa est, nititur hoc nobilissimi exempli auctoritate. Cum enim cuius ad miserationem Coriolanus ope permotus videbatur, Fortunae muliebri senatus aedem publice fieri iussisset, eiusque rei causa, ut ait Dionys. 8, 55. locus consecratus esset, matronae stipe conlata signum fieri curarunt ipsaeque dedicarunt. De cuius dedicationis iure ne quis dubitaret, clara voce statua deae haec verba emisisse fertur (Plut. Cor. 37.

August. Civ. Dei 4, 19. Lact. 2, 7, 11.): *rite me, matronae, dedistis riteque dedicastis.* Aedes autem postea a consule Proculo Verginio dedicata est. Sacrorum vero privatorum apparatus sacerne fuerit dubitari potest, licet sacrum vocet Messala ap. Plin. 34, 38. §. 137. Serviliae gentis trientem, cui quotannis summa cum cura et magnificentia sacra fiebant; de locis certe negat Aelius Gallus ap. Fest. p. 321ª: *si qua sacra privata succepta sunt, quae ex instituto pontificum stato die aut certo loco facienda sint, ea sacra appellari tanquam sacrificium; ille locus, ubi ea sacra privata facienda sunt, vix videtur sacer esse;* iis tamen familiis, quarum publice sacra reciperenter, loca quoque optimo iure sacra attribuebantur, quod de gente Aurelia testatur Paulus p. 23 cui publice a populo R. datus sit locus, in sacra faceret Soli. Cum igitur hac re potissimum dedicatio a consecratione differat, quod quae dedicantur, deorum quidem religione imbuuntur, sacra vero, si vis vocabuli accuratius examinetur, non fiunt, mirandum non erit, quod donaria, quibus privati homines sive voto soluto, sive pietate ducti deorum immortalium aedes exornare solebant, alio iure, quam sacrorum et cultus suppellectilem fuisse luculenti scriptoris testimonio significatur. Macrobius enim 3, 11, 5., ut ipse quidem negligenter dicit, ex iure Papiriano, ut color orationis et rerum, de quibus exponitur, genus ostendit, ex Grani Flacci in illam regiarum legum collectionem commentario, id quod rectissime perspexit Dirksen Versuche p. 280. praeeunte Wyttenbachio, haec affert de mensarum sacrarum iure, quae in libationibus et sacrificiis ararum vicem interdum praestent: *In templo Iunonis Populonae* (cf. Mommsen Dialecte p. 143.) *augusta mensa est; nam-*

*que in fanis alia vasorum sunt et sacrae suppellectilis, alia ornamentorum: quae vasorum sunt instrumenti instar habent, quibus semper sacrificia conficiuntur, quarum rerum principem locum obtinet mensa, in qua epulae libationesque et stipes reponuntur. Ornamenta vero sunt clypei coronae et huiuscemodi donaria; neque enim dedicantur eo tempore, quo delubra sacrantur, at vero mensa arulaeque eodem die, quo aedes ipsae dedicari solent, unde mensa hoc ritu dedicata in templo arae usum et religionem optinet pulvinaris.* Quibus tam similia sunt quae Servius 8, 279. profert, ut is quoque Grani librum oculis usurpasse videatur. Mensarum igitur, quas dicit, in vetustissimis sacris non infrequens memoria est; notissimae sunt mensae ap. Paul. p. 64. curiales, *in quibus immolabatur Iunoni, quae curis appellata est.* Iovis mensam nescio quam, quam verbenaca verri oporteat, Plinius 25, 59. §. 105. commemorat. Eiusdem generis anclabris mensa est ap. Paul. p. 77. *qua* (*ex qua* Turneb.) *in sacrificando dis anclatur, id est hauritur ministraturque.* Vasorum vero diversissima genera commemorantur: *anclabria* Paul p. 11. *armilla* ib. p. 2. *athanuvium* ib. p. 18. *capides ligneae fictilesque* Varro de l. L. 5, 121. *lepestae* ib. 122. *guttus, simpulum* ib. 124. *cululli* Acron ad Hor. carm. 1, 31, 11. *cuturnium* Paul. p. 51. *simpuvium* ib. p. 337., quibus vehementer delectabatur Cicero, apud quem Cotta de n. d. 3, §. 43. meliora se didicisse ait de colendis dis immortalibus iure pontificio et more maiorum capedunculis iis, quas Numa reliquerit . . . quam rationibus Stoicorum. Et his quidem, quae simul cum aede ipso dedicationis die, ut ritu quo oporteret sacrificia confici possent, consecrari solebant, subtiliter Granius docet nec

iure nec religione paria fuisse, quae in honorem et exornationem templorum pia subinde hominum veneratio pro rei copia subministraret, nec quin recte senserit dubitare sinit ipsa dedicationis vis et natura. At vero omnem hanc in constituendis definitionum limitibus subtilitatem uno quasi ictu Servius disicere videtur, qui Ecl. 7, 31. dicat: *in libris sacrorum refertur, sacrum dici, quod rite sacratur, ut aedes areae simulacra dona... dona autem oblata numinibus tamdiu sacra sunt et dona possunt dici, quamdiu non fuerint profanata*; quae iisdem fere verbis redeunt Aen. 3, 287. 9, 408. Sed ne hoc quidem tam diversum est, ut conciliari cum Grani ratione omnino non possit: quae enim vis in ipsa dedicatione non fuit, ut sacra fierent dona, quae dis rite offerrentur, facile pontificum decretis et auctoritate, quibus saepe legum sive iniquitati sive defectui subventum est (Cic. de legg. 2. §. 52), suppleri potuit, quo accedit quod cur id factum sit, satis probabiliter possit demonstrari. Nam si alia conditione ornamenta alia supellex erant, qui ex illis tantum aliquid surripuisset, pro sacrilego puniri non poterat. Quod tam improbum perfugium ut occluderetur, discrimen opinor illi, quod ex iure natum erat, verbo sustulerunt, qui quanta in his rebus subtilitate versati sint argumento est lex ap. Paul. dig. XLVIII. 13, 9: *sacrilegi capite puniuntur, sunt autem sacrilegi, qui publica sacra compilaverunt, at qui privata sacra vel aediculas incustoditas tentaverunt, amplius quam fures, minus quam sacrilegi merentur. Quare quod sacrum quodve admissum in sacrilegii crimen cadat diligenter considerandum est.* Quo fit, ut ne sacella quidem, in quibus ut docet Cic. de har. resp. §. 32. (cf. Savigny Verm. Schr. 1, p. 175.) permulta sacra pri-

vata curabantur, eodem quo aedes iure fuerint, siquidem singulare fuit, quod de Minervae Captae, quae in Caelio publice colebatur, sacello Ovidius narrat Fast. 3, 845 (cl. Merkel proll. p. CXXI.): *habet legem capitis quae pendere poenas ex illo iubeat furta reperta loco.*

4. His praemissis unde quid inter res sacras dedicatasque intersit, cognosci possit, iam seorsum de consecrationis religione dicendum est, qua sive res sive loca humano iure exempta tanquam aeterno quodam vinculo deorum numini coniungebantur. Primum igitur res sacrae, id quod in sanctas quoque et religiosas cadit, ut ait Gaius 2, 9. coll. Inst. 2, 1, 7. nullius in bonis sunt; nec si locum, cuius pars aliqua sacrata fuisset, insciens quis pro puro emerit, ratum id esse Ulpianus veteri lege docet dig. XVIII. 1, 22: *si quid sacri vel religiosi est, eius venit nihil.* Quamquam Cicero ne profanationis aliquid ex crebra dominorum mutatione Tulliae sive fanum sive sepulcrum (Drumann, Röm. Gesch. 6, p. 705.) contraheret verebatur et cautione nescio qua evitare cupiebat ad Att. 12, 19, 1: *sed ineunda nobis ratio est, quemadmodum in omni mutatione dominorum, quae innumerabiles fieri possunt, illud quasi consecratum remanere possit.* et ib. 36, 1: *quod poteram, si in ipsa villa facerem, sed ut saepe locuti sumus, commutationes dominorum reformido.* Deinde vero hoc quoque inter principia ponendum est, etsi eius rei ex publico potius, quam ex pontificio iure causa repetenda videtur, quod neque eius quod sacrum, neque quod religiosum est, conditionis provinciale solum capax est, exceptis si qua loca populus ipse Romanus consecrari iusserit; nam ut ait Gaius 2, 7: *in provinciali solo placet plerisque solum religiosum non fieri quia in* [eo sol]*o*

*dominium populi Romani est vel Caesaris, nos autem possessionem tantum* [et u]*sumfructum habere videmur. Utique tamen* [eiusmodi locus etsi non sit] *religiosus pro r*[eligi]*oso habetur: quia etiam quod in provinciis non ex auctoritate populi R. consecratum est,* [quamquam] *proprie sacrum non est, tamen pro sacro habetur.* Eadem est causa, quae provincialium praediorum nec mancipatione quemquam, neque in iure cessione (Gai. 2, 31.), nec denique usucapione (Gai. 2, 46.) dominum fieri patitur, quia quae populi R. essent, privatorum hominum ex iure Quiritium esse absonum videbatur. Aedem igitur magnae Matris ab ipsis Nicomedensibus constitutam sine religione transferri in alium locum posse Traianus ap. Plin. ep. X. 50. indicat, circumspecte idem et caute (ep. 71.) Prusae, ubi in area peristylii, quod Claudio Caesari Claudius Polyaenus legasset, Plinius balineum commodissime exstrui posse monstraverat, videndum esse monens, ne si aedes Claudii ibi fuerit, id quod nutu Plinius significarat, religione solum occupatum sit. Cum autem rerum locorumque, quae sacra vocantur, ius omne et religio coniunctissima sit cum institutis et moribus populi R., sequitur, ut sacra tamdiu sint, quamdiu in potestate populi R. retineantur; contra ut ait Pomponius dig. XI, 7, 36. *cum loca capta sunt ab hostibus, omnia desinunt religiosa vel sacra esse, sicuti homines liberi in servitutem perveniunt. Quodsi ab hac calamitate fuerint liberata, quasi quodam postliminio reversa pristino statui restituuntur.* Restitutionis quae ratio, quae caerimoniae fuerint vetustissimo eius ritus exemplo, quo post urbem a Gallis captam loca sacra purgata sunt, Livius docet 5, 50: (Camillus) *senatus consultum facit, fana omnia, quod ea hostis pos-*

*sedisset, restituerentur, terminarentur, expiarenturque, expiatioque eorum in libris per duumviros quaereretur.* Iam vero ritus consecrationis, quibus multum subsidii ad cognoscendam iuris subtilitatem inest, et ipsi digni videntur, in quos paulo accuratius inquiramus. In aedibus igitur sacris deorumque sedibus condendis hoc primum curandum erat, ut loca caerimoniis quibus oporteret constituerentur, quod cum rite fieret fana *sisti* dicebantur (Fest. p. 351[a].), vocabulo ut videtur sollemni libris Etruscorum ritualibus, quibus teste Festo p. 285[a]. urbium condendarum religiones et mores tradebantur. Quem autem locum sacrum fieri visum esset, eum certis finibus a pontificibus terminari oportebat, quia nisi certum quid et distinctum recte dis dedicari nequit (cf. Liv. 31, 9. 27, 25. Val. Max. 1, 1, 8.). Fana ipsa nominata putat Varro l. L. 5, 54. quod pontifices in sacrando fati sint finem, nec Livium improbabile est vetustum terminandi carmen imitatum esse, apud quem Romulus hac dedicationis formula utitur 1, 10: *Iupiter Feretri, haec tibi victor Romulus rex regia arma fero templumque his regionibus, quas modo animo metatus sum, dedico sedem opimis spoliis.* Agri quoque, quos fani, quod dedicaretur, esse oporteret, ut accurate definirentur curae erat, formis etiam, cum ad id artis perventum esset, et tabulis adhibitis, ut est in titulo ap. Orell. 1460: *Vespasianus Aug. cos. VIII.* (77 p. Ch.) *fines locorum dicator. Dianae Tifatinae Cornelio Sulla* (Vellei. 2, 25.) *ex forma divi Aug. restituit.* cf. Frontin controv. agr. p. 57, 8. Lachm. Terminatione absoluta iam locus consecrabatur (Serv. Aen. 1, 446.), nam areae ab aedium consecratione distinguendam esse aperte docet Dionys. 8, 55. *τέμενός τε ὠνηθὲν καθιερωθῆναι*

τῇ θεῷ· et infra: ὁ νεὼς συνετελέσθη καὶ καθιερώθη, unde explicandum est quod Marcianus tradit dig. I. 8, 6. §. 3.: *semel autem aede sacra facta etiam diruto aedificio locus sacer manet*; et Papinianus dig. XVIII. 1, 73: *aede sacra terrae motu diruta locus aedificii non est profanus et ideo venire non potest.* Sin a solo aedes reficienda esset non consecratione, sed lustratione opus erat, cuius luculentam imaginem Tacito debemus, qua sollemnes caerimonias, quibus Capitolii restitutionem Vespasianus auspicatus est, venustissima narratione adumbravit Hist. 4, 53: *haruspices monuere, ut reliquiae prioris delubri in paludes aveherentur, templum isdem vestigiis sisteretur: nolle deos mutari veterem formam. undecimo kal. Iulias* (70 p. Chr.) *serena luce spatium omne, quod templo dicabatur, evinctum vittis coronisque ingressi milites, quis fausta nomina felicibus ramis. dein virgines Vestales cum pueris puellisque patrimis matrimisque, aqua e fontibus amnibusque hausta perluere. Tum Helvidius Priscus praetor praeeunte Plautio Aliano pontifice lustrata suovetaurilibus area et super caespitem redditis extis Iovem Iunonem Minervam praesidesque imperii deos precatus uti coepta prosperarent, sedesque suas pietate hominum inchoatas divina ope attollerent, vittas, quis ligatus lapis innexique funes erant, contigit. Simul ceteri magistratus et sacerdotes et senatus et eques et magna pars populi, studio laetitiaque conixi, saxum ingens traxere. passimque iniectae fundamentis argenti aurique stipes et metallorum primitiae, nullis fornacibus victae, sed ut gignuntur. praedixere haruspices ne temeraretur*

*opus saxo aurove in aliud destinato.* Sed quo rectius aedium locorumque sacrorum iura definiantur de subtili distinguendi ratione dicendum est, unde praeclare suam cuique caerimoniae religionem et vim fuisse eluceat. Omne enim de iure locorum iudicium hac re, cuius certissimum testem M. Varronem habemus, maxime nititur, quod aedes deorum sacrae quidem sunt omnes, templa non omnes. Nam templa, si artis peritos sequare, loca sunt ab auguribus rite constituta, primum quidem in caelo, medio eius spatio ad quatuor mundi regiones ita designato, ut ab oriente sinistra, ab occasu dextra, ad meridiem antica, ad septentrionem postica sit (Serv. Aen. 1, 92. 6, 191.); deinde simili loco in terra certis conceptisque verbis effato terminatoque (Varro l. L. 7, 8.). Quae sollemnes caerimoniae nisi coniunctae cum consecratione fuerint, quam optimo iure aedem vocaveris, templum nihilo magis erit. Nec utrius quaeque aedes iuris esset parvi referebat, cum vel cum populo agi vel senatum cogi, nisi loco inaugurato fas non esset; de quo Varro in commentario isagogico, ad Cn. Pompeium consulem designatum anni 684. scripto, sic exposuit ap. Gell. 14, 7, 7: *nisi in loco per augures constituto, quod templum appellaretur, senatusconsultum factum esset, iustum id non fuisse. Propterea et in curia Hostilia et in Pompeia et post in Iulia, cum profana ea loca fuissent, templa esse per augures constituta, ut in iis senatusconsulta more maiorum iusta fieri possent. Inter quae scriptum reliquit, non omnes aedes sacras templa esse, ac ne aedem quidem Vestae templum esse.* Templa igitur ab auguribus constituta etsi tantum abest, ut profana sint, ut Servius 7, 152 eius generis locum augurio

*consecratum* dicat, certo tamen alicui deo sive deae, id quod proprium est rerum sacrarum, addicta non erant, unde C. Cassio censori (Cic. de dom. §. 136.) curia Hostilia commode Concordiae dedicari posse visa est. Sed praeter curiam omnes deorum aedes, quae inauguratae essent, aptae erant senatui habendo, nec iuvat sctorum in fano Apollinis in circo Flaminio ap. Liv. 3, 63. 34, 43. 37, 58. 41, 17. in aede Bellonae ap. eundem 28, 38. 31, 47. 33, 22. 36, 39. in aede Concordiae ap. Cic. Phil. 2, §. 19. 3, §. 30. factorum exempla cumulare; cum contra quae loco inauspicato decreta essent, non iusti scti, sed auctoritatis tantum vim haberent, ut significat Dio Cass. 55, 3: *ἀλλὰ αὐκτώριτας ἐγίγνετο..., εἴ ποτε ἐν τόπῳ τινὶ μὴ νενομισμένῳ τὸ μὲν δόγμα οὐκ ἠδυνήθη γενέσθαι, τὴν δὲ γνώμην σφῶν οὐχ ὑπέμενον ἀποκρυφθῆναι.* Quod autem Varro l. c. vetustissimi sanctissimique numinis sedem, Vestae aedem inauguratam fuisse negat, confirmatur a Servio 7, 52: *templum Vestae non fuit augurio consecratum, ne illuc conveniret senatus, ubi erant virgines;* quamquam de explicandi ratione recte dubitat Müllerus Etr. 2, p. 138, nam praeter Vestae delubrum alias quoque aedes auspiciorum religione caruisse satis ostendunt Varronis ap. Gellium verba: *ac ne aedem quidem Vestae.* cl. de l. L. 7, 10. Quid vero, ut hoc genus a reliquis discerneretur, causae fuerit, pulcre Müllero l. c. praeeunte Marquardtius p. 435. (cl. Guther. de iur. pont. p. 113.) assecutus est, loci ap. Serv. 9, 408. memor, ubi cum Vestae aede propter formae similitudinem hae coniunguntur: *aedes autem rotundas tribus dis dicunt fieri debere, Vestae Dianae vel Herculi vel Mercurio.* Et Vestae quidem aedem rotundam fuisse no-

tius est, quam ut testimoniis opus sit. Eadem forma celebris Herculis ad aram maximam aedes fuit, a Livio 10, 23. commemorata, cuius antiquitates picturae argumento, quae in sylloga Vaticana Fulvii Ursini extat doctissime illustravit de Rossi in annal. Inst. 1853. Dianae num omnia fana, quibus Romae colebatur (cf. Preller Roem. Myth. p. 281.), an certum aliquod Servius intellexerit, dubium est. Harum igitur aedium, et si quae his similia fuere, forma a templi imagine, quod nunquam non quatuor angulis totidemque lineis rectis terminabatur, plane abhorrebat. In reliquis contra tam constans fuit quadratae formae auctoritas, ut Varro ap. Serv. Aen. 2, 512. paucarum, quae discordant, immemor aedem definierit locum esse quatuor angulis conclusum. Sicut igitur quod medium est in aedibus inauguratis accurate incidit in punctum, quo decumanus a cardine secatur (Dolabella p. 303. Lachm. Müller Etr. 2, p. 138.), ita parietes finibus spatii effati, qui quatuor mundi regiones spectant, quasi impositos esse oportet, ut formam minorum, quae vocantur, templorum imitentur, de quibus Festus p. 157ª. (cl. Serv. Aen. 4, 200.): *minora templa fiunt ab auguribus, cum loca aliqua tabulis aut linteis saepiuntur, ne uno amplius ostio pateant, certis verbis definita.* Quibus denique aedibus nihil plane ad exemplum quasi disciplinae deesset, earum adversus meridiem ostium patebat, quod de Iovis Capitolini templo Dionys. 4, 61. testatur. Cum igitur duplicis religionis vi et sollemnitate aream, quae futuro delubro apta fieret, imbui oporteret, inauguratione et consecratione, augurum in ea re negotium ordine prius fuisse Servii docet locus Aen. 1, 446. ad cognoscendum universae caerimoniae ritum post Mülleri Etr. 2, p. 138. et Hartungi 1,

p. 141. emendationes utilissimus: *morem Romanum veterem tangit, antiqui enim aedes sacras ita templa faciebant, ut prius per augures locus* (em. Müller. *lucus* vg.) *liberaretur effareturque, tum demum a pontificibus consecraretur, et post ibidem sacra edicerentur. Erant alia* (em. Hartung. *autem* vg.) *templa in quibus auspicato et publice res administraretur et senatus haberi posset, erant alia* (ins. Hartung. lacuna indicatur vg.) *tantum sacra; hic ergo et sacrum et* (ins. Hartung. om. vg.) *templum, quod in luco i. e. in loco sacro conditur, docet, et in templo administrari rempubl. subsequentibus versibus indicat.* Et in liberandis quidem effandisque locis Cicero quoque praecipuum auguralis disciplinae munus versari significat de legg. 2. §. 21. *Affandi* fines caerimoniam cum aliquo discrimine Varro l. L. 6, 53. adicere videtur. Plaeclare vero in tanta vetustorum fontium paucitate accidit, quod de hoc ipso auguralis cum pontificia disciplina quasi foedere fragmento librorum pontificalium docemur, exiguo quidem et propter codicis volnus lacero, quo ea tamen, de quibus supra quaesitum est et illustrantur egregie et supplentur. Apud Festum enim haec leguntur additis, quae satis probabiliter ab interpretibus coniecta sunt p. 356[a]: [tesca Verrius ai]*t locu augurio desig*[nata, quo sit term]*ino finis in terra auguri. Op*[ilius autem Aureli]*us loca consecrata ad* [augurandum scrib]*sit. Sed sancta loca undique* [septa doce]*nt Pontifici libri, in quibus* [scribtum est: ' templum]*que sedemque tescumque* [sive deo sive deae] *dedicaverit, ubi eos ac*[cipiat volentes] *propitiosque.*' In his primum Festi levitas notanda est vero errorem admiscentis, cum enim tesca esse, quae un-

dique saepta sint, si modo ita scripsit, rectissime explicet, quod adicit, eadem sancta esse, iam patrum memoria Varro refutarat l. L. 7, 10: *tesca aiunt sancta esse, qui glossas scripserunt; id est falsum: nam curia Hostilia templum est et sanctum non est,* ubi Aurelium Opilium, qui multum in glossis explicandis versatus est (Varro l. L. 7, 50. 65. 67. 70. 79. 106. Ritschl Parerg. p. 367.), a Varrone vituperari crederes, si minus illud, quod apud Festum editores suppleverunt, probabile esset: nunc etsi consecrationem incautius appellavit, re ipsa verum vidit, nam tescum quid sit fragmenti librorum pontificiorum sententia docet, qua de loci inaugurati dedicatione sollemni praecipi videtur. Tesca igitur loca effata sunt vel augurio designata, ut cum Verrio loquamur, qui — id quod ex ordine litterarum optime coniecit Mueller praef. p. XXVIII — formam *tuesca* propter etymon a Varrone l. L. 7, 11. probatum, posuerat.

5. Iam ad singula locorum sacrorum genera nos convertamus, in quibus primum agri nominandi sunt, quos dis, quorum hostes ope victi et fines populi Romani prolati essent, imperatores ut ait Cicero de dom. §. 128. consecrabant, vetusto et communi antiquorum populorum more, ut essent unde sacrorum sumptus erogarentur; ut est apud Dionysium 3, 29. de sacro Albanorum agro: *χωρὶς τῶν ἱερῶν κτημάτων, ἐξ ὧν αἱ θυσίαι τοῖς θεοῖς ἐγίνοντο.* (cf. Oros. 5, 18. Ambrosch Studien p. 199.) De lucorum iure et religione dubitari video propter Varronis iudicium, qui cum in rerum divinarum antiquitatibus tres de locis libros fecerit de sacellis (l. V.) de aedibus sacris (l. VI.) de locis religiosis (l. VII.), lucos novissimo tribuisse videtur, cui indiculum eorum, quos Ovidius commemoravit,

Varro commemorare potuit Merkelius p. CXLVIII. subiecit. cf. Marquardt p. 437. Sed Varro propter studium illud congruentium numerorum, quo mirifice sibi placet, quoque fortasse lectoribus se excusaverat, minus in hac re auctoritatis habet, sunt enim testes, qui lucos aperte testentur sacros fuisse, Serv. Aen. 1, 446: *templum, quod in luco, idest in loco sacro conditur.* Frontin. controv. agr. p. 56, 20: *lucos sacros occupat.* cf. Cato ap. Prisc. 7, p. 629. Cum lucum ne profanum quidem religioso homini sine piaculo conlucare fas esset (Cato r. r. 139.), in publicis sacrisque lucis non aeris tantum aliquid sive aerario sive templi arcae (Rudorff Grom. Inst. p. 261.) solvi oportebat, quod lucar vocabatur (Paul. p. 119. Fest. p. 253[b]), sed di quoque caerimoniis religiosissimis placabantur. Notae sunt porciliae piaculares duae, quas luci coinquendi causa fratrum Arvalium promagister deae Diae immolare solebat (Marini Atti p. 307.). Pontificibus autem diligentissimae lucorum religionem curae fuisse praescriptio, quae ipsorum haud dubie est, ap. Serv. ostendit 11, 315: *Trebatius de religionibus libro VII. ait: luci qui sunt in agris, qui concilio capti sunt, hos lucos eadem caerimonia moreque coinqui* (*conquiri* codd.) *haberique oportet, ut ceteros lucos, qui in antiquo agro sunt. Antiquum agrum Romanum cogit intelligi.* Cum aedibus sacris lucus plerumque vel agri aliquid coniunctum erat. Aventinum ante legem Iciliam (Dionys. 10, 31.) luco olim communi populis Latinis dicatoque Dianae occupatum fuisse, Mommsen Dial. p. 125. significavit, luci idem Iunonis Sospitae memor, cuius municipibus Lanuvinis communis cum populo R. cura erat (Liv. 8, 14.). In privatorum quoque hominum agris aediculae plerumque cum luco constitue-

bantur, sive Laribus sacrae, ut est ap. Cic. de legg. 2. §. 19. 27: *lucos in agris habento et Larum sedes.* sive Silvano, qui, ut ait Dolabella p. 302, *dicitur orientalis, cui est in confinio lucus positus, a quo inter duo pluresve fines oriuntur, ideoque inter duo pluresve est lucus finis.* Aediculae autem Horto deo, qui Samnitium lingua Silvanus est, *in utriusque praedii decimanis* positae, pulcrum monumentum est titulus Agnonae repertus, pulcre a Mommseno Dial. p. 129. illustratus. Cum autem eius generis sacella non a proximis tantum, sed a plerisque eius regionis colonis colerentur, festis autem diebus confluenti undique populo spatio vacuo et inculto ad sacri sollemnitatem opus esset, domini praediorum, quorum eo loco confinia terminabantur, agri, ut ait Frontinus p. 57, 10., certum modum fano consecrare solebant, cuius forma designata in tabulario publico asservabantur. Et olim quidem plus aliquanto, quam opus esset, et quod aratorem requireret, donatum esse ostendit quod Frontinus dicit: *si quid spatiosius cedebatur, sacerdotibus templi illius proficiebat. in Italia autem multi templorum loca occupaverunt et serunt.* Posterioribus temporibus nemo facile praeter necessitatem liberalis fuisse videtur, cum Dolabella p. 303. spatium illud plerumque non amplius quindecim pedibus patuisse dicat. (Rudorff l. c. p. 263.)

Locorum autem in urbe ipsa consecratorum non unum genus nomenve fuit: primum igitur de f a n i s variae ex nominis origine coniecturae ductae sunt, cum veteres plerumque locum, quem fando pontifices consecrarint, ut Varro l. L. 6, 54. Paul. p. 88., qui nuper de re quaesiverunt Müller Etr. 2. p. 138. Marquardt p. 435. templum ab augu-

ribus verbis conceptis effatum fanum vocari sibi persuaserint. Quos fortasse utrosque opinio fefellit, siquidem simplicius videtur, quod placuit Hartungo 1, p. 137., ab eo quod fas est, fanum descendere, ut eo vocabulo quodcunque deorum sit significetur. Usu tamen postea et consuetudine locorum sacrorum, in quibus aedes non esset, proprium factum est, ut docet Livii locus 10, 37: *Iovis Statoris aedem votam, ut Romulus antea voverat, sed fanum tantum, id est locus templo effatus, sacratus fuerat,* ubi minus recte de voce *sacratus* Marquardt dubitavit, cum templorum non ea sit religio, ut certi alicuius dei sint. Privatorum autem hominum religione fieri potuisse, quae non verbo tantum, sed re fana essent, non credibile est, quamquam Ciceronis, cum Tulliae mortem lugeret, eo nomine dolor quodammodo delectabatur, ad Att. 12, 36, 1: *fanum fieri volo, neque hoc mihi erui potest. sepulcri similitudinem effugere non tam propter poenam legis* (ep. 35, 2.) *studeo, quam ut maxime assequar ἀποθέωσιν.* At vero de sepulcri haud magis, quam de ipsius personae consecratione cogitare licet, cuius simile aliquid, quantum illis temporibus 'tam eruditis' fieri posset, in honorem Tulliae pater moliebatur (ib. ep. 18, 1.). Fanorum quae in urbe fuerunt, vereor ut certior cognitio comparari possit, propter nimiam optimorum scriptorum in ponendis locorum nominibus incuriam; permulta fuisse perque vetusta, eorum quae in Capitolino monte a Tito Tatio consecrata inaugurataque postea fuerant, exauguratio ap. Liv. 1, 55. ostendit. Aram haud dubie omnes habuerunt: Febris fanum Cic. de n. d. 3, §. 63. aram idem de legg. 2, §. 28. commemorat, Veneris Verticordiae fanum Serv. 8, 636., aram

Plin. 15, 36. §. 121. Lectisternia autem cum in foris fierent (Marquardt p. 58.), ut rite et ea, qua par erat, religione di exciperentur, per festi tempus ea loca fana fieri oportebat, ut docet Antistius Labeo ap. Fest. p. 351[a]., quo absoluto sacra, opinor, evocabantur. Cum fanis sacella consocianda sunt, quod genus nimis angustis finibus Festus p. 318[a]. circumscripsit, qui cum sacella dicit loca vocari dis sacrata sine tecto, hypaethra praecipue templa significat, velut dei Fidi in Quirinali (Varro l. L. 5, 66.). Cum his pugnat Trebatii ap. Gell. 7, 12, 5. definitio: ***sacellum est locus parvus deo sacratus cum ara***, qui de aedificio ne cogitasse quidem videtur. Patet tamen latius nominis ratio. Dianae enim in Caeliculo maximum sanctissimumque sacellum, quod Cic. har. resp. §. 32. a L. Pisone sublatum, alia, quae a Serrano suffossa oppressa dicit, aediculas apparet fuisse. Larum aedem in summa sacra via, quam sacellum Tacit. ann. 12, 24. vocat, Augustus aut primum constituit (mon. Ancyr. 4, 7. p. 33. ed. Zumpt), aut conlapsam a solo restituit. In sacello Volupiae, ut ait Macrob. 1, 10, 7., pro quo curiam Acculeiam Varro l. L. 6, 23. nominat, sacrificium statum fiebat divae Angeronae, cuius ibidem in ara simulacrum positum erat. Privatorum quoque sacrorum loca, quae cum consecrata publice non essent, sacra proprie vocari non licebat (Fest. p. 321[a].), sacellorum certe et nomen et religionem habuerunt, quod eius sacelli, quod Pudicitiae plebeiae Verginia (Liv. 10. 23.) constituit, exemplo luculenter apparet. Eorum vero, quae publice colebantur vetustissima sunt Argeorum sacella ap. Varron. l. L. 5, 47—54. Fest. p. 154[b]., per quatuor urbis regiones distributa, quorum reconditas antiquitates egregie illustravit Mommsen die Roem. Tribus. p. 15. et 214. Ex

reliquis notissimum fere Iani sacellum est ad infimum Argiletum, cuius originem a veteri porta Ianuali, in qua signum dei Numa dedicaverit (Plin. 34, 16. §. 33.), Varro repetit l. L. 5, 165., quocum quod idem ap. Plutarchum q. R. 27. docet, urbium portas vetustissimo instituto nihil unquam religionis habuisse: τὰς δὲ πύλας οὐχ οἷόντ' ἦν ἀφιερῶσαι, δι' ὧν ἄλλα τε πολλὰ τῶν ἀναγκαίων καὶ τοὺς νεκροὺς ἐκκομίζουσιν, nunc sane pugnare videtur, ab ipso fortasse in antiquitatum libris docta disputatione coniunctum erat. Alterum Iani sacellum, ad forum olitorium extra portam Carmentalem situm, miro iudicio locum inauguratum fuisse Festus p. 285ª. sibi persuasit, senatus consultum, quo Fabii, qui ad Cremeram occubuerunt, dimissi sunt, ibi factum esse referens; in quibus quantum erroris sit, cum aediculam illam (Tac. ann. 2, 49.) Duilius demum aedificaverit, docte a Beckero Roem. Alterth. 1, p. 139. 259. demonstratum est. Vetustissimae Herculis arae, quam maximam vocabant, praecipua quaedam ad fidem et iusiurandum firmandum vis inesse videbatur, propter ipsius dei numen ac naturam cum deo Fidio seu Semone Sanco coniunctissimam (Varr. l. L. 5, 66.), unde paulatim mos ex religione natus est, ut privati homines, qui pacta sua, arctiore quodam vinculo et quasi pignore munire vellent (Danz, der sacrale Schutz p. 112.), aram maximam tenentes verbis conceptis iurarent, ut docet Dionys. 1, 40: ὅρκοι τε γὰρ ἐπ' αὐτῷ καὶ συνθῆκαι τοῖς βουλομένοις βεβαίως τι διαπράττεσθαι... γίνονται. Sacellum sive fanum Carmentae dedicatum, cuius porta quoque nomine appellabatur, mira sacrorum puritate nobile est, quibus ne scortei neve morticini quid adhiberetur cautum erat (Ovid. Fast. 1, 629. Serv. Aen. 4, 518.).

In aliis quibusdam sacellis eandem legem observatam esse Varro l. L. 7, 84. testis est. Ex reliquorum fanorum sacellorumque multitudine, in quibus diversissimis numinibus sacra iis, quibus in pontificum libris praescriptum erat, ritibus et caerimoniis fiebant (Liv. 1, 20. Serv. 12, 836.), pauca tantum et illustriora fere nomina delibemus, adscriptis, ut commode accuratior notitia peti possit, paginis topographiae Beckerianae. In Capitolio igitur, ut a Iove principium fiat, ara fuit Iovis Pistoris (p. 410. Merkel. p. LXXXV.), sacella Iuventatis et Termini (397.), ad clivom Capitolinum ara Saturni a templo diversa (313.), sacellum Ditis (313.), in ipso foro Genius populi Romani (344.), sacrum Cloacinae (320.), in Palatio ara Viriplacae (421.), sacellum Larum (101. et 226.), ara Orbonae (82.), Febris (421.), in Germalo Lupercal (418.), sacellum Ruminae (Varr. r. r. 2, 11. §. 5.), sub Velia Vicae Potae (250. Liv. 2, 7.), in nova via ara Aii Loquentis (244.), sacellum Volupiae (492.), in Aventino ara Evandri (449.), ara Iovis Inventoris (449.), Iovis Elicii (450.), ara Consi (450.), dei Fidi (462.), Fortunae dubiae (562.), in circo maximo sacellum Murciae (467.), ara Consi (468.), in foro boario sacellum Pudicitiae patriciae (477.), in vico iugario ara Iunonis Iugae (487.), in Velabro sacellum Velabrum ex Mülleri ad Varr. 5, 43. coniectura, dubitante Beckero 490., sepulcrum Accae (492). In Caeliolo sacellum Dianae (497.), in Caelio sacellum deae Carnae (499.), Minervae Captae (499. Minervium ap. Varr. l. L. 5, 47.), ad portam Capenam vallis Egeriae (513.). In Carinis sacellum Streniae (220.), ara Iunonis sororiae et Iani Curiatii (529.), in Esquiliis ara Iovis Fagutalis (536.), malae Fortunae (537.), Febris (537.). in colle Viminali ara Iovis

Viminii (565.), sacellum Naeniae (567.). in Quirinali sacellum Quirini (573.), Pudicitiae plebeiae (581.), Apollinar (Varr. l. L. 5, 52. Hartung 2. p. 205.). in circo Flaminio Apollinar (605. Liv. 3, 63. Preller, Roem. Myth. p. 269.), in campo ara Ditis (628.), ara Martis (629.). in insula ara Tiberini (652.), dei Fidi (652. Preller, p. 637.); trans Tiberim lucus et ara Furinae (655. Orell. inscr. 2551.), ara Fontis (656.).

Curiarum duo genera Varro l. L. 5, 155. distinguit: alterum ubi sacerdotes res divinas curent, alterum, in quo senatus de rebus humanis consilia conferat. Et illae quidem, in quibus triginta curiaorum sacra fiebant, dubitari nequit quin loca optimo iure sacra fuerint; inauguratae ne fuerint ex iis, quae de evocatione ap. Fest. p. 174[b]. traduntur, non tam certo argumento colligitur, quam Marquardtio p. 396. visum est. Cum enim initio una in aede, quam in radicibus Palatii ad arcum Constantini fuisse Beckerus p. 100. cl. Tac. ann. 12, 24. ostendit, coniunctae fuissent omnes, aucto autem paulatim civium numero in ampliorem commodioremque locum ea sacra transferri placuisset, quatuor sive septem, nam dubitatur ap. Fest. l. c., evocari non potuerunt, quae relictae veteresque appellatae sunt, reliquarum haud cunctanter sacra in fana ad compitum Fabricium prope portam Capenam (Becker 2, 1, p. 33.) sibi constituta commigrarunt. Ex his vereor, ut recte conclusum sit, evocationis carmine inaugurationis religionem tolli solitam esse, siquidem aliud est evocare, aliud exaugurare. Nam quod Heineccius Syntagma p. 353. ed. Haub. dicit: 'sacrae res esse desinebant exauguratione, quae fiebat per evocationem sacrorum', vir eximius oblitus paululum est, fieri non potuisse, quin quo genere ri-

tuum et caerimoniarum sive locus religione sive alia res obligata fuisset, eodem ut solverentur opus esset, inaugurata igitur exaugurari, consecrata evocari debuisse. Consulto igitur et caute Livius 1, 55. in Capitolio fana quaedam ait consecrata et inaugurata postea fuisse, nam de exauguratione annalium consensu constabat. Ne hoc quidem quicquam difficultatis habet, quod quaeri possit, qua tandem ratione pontifex, qui loci alicuius sive deum sive deam verbis sollemnibus evocare iussus esset, utrum accepta ea precatio numini esset, nec ne resciverit. Macrobius enim 3, 9, 9. pontifices ait peracto evocationis carmine hostiarum exta inspexisse, eoque divinationis genere quid dis placuerit coniecisse. Praeter triginta autem populi curias eodem nomine alia quaedam aedificia sacris faciundis destinata appellata sunt, velut curia sive Acculeia sive Occuleia (Varr. l. L. 6, 23.), ubi Angeronae fiebat, curia Saliorum Palatinorum (Cic. de div. 1, §. 30.), cui similem Agonenses habuerint necesse est (Preller p. 315.), et curia Calabra. Atriorum, de quibus docta Mülleri disputatio Etr. 1, p. 254. conferenda est, et nomen et forma ad deorum quoque templa translata est. Et sutorio quidem atrio (Varro 6, 14.) in Palatio, licet profaniore paululum numine sit, cum Volcani numine religionis aliquid intercessisse argumento quod binis Tubilustriis X. kl. April. X. kl. Quinctil. sacrorum tubae Volcano dicatae (Ovid. Fast. 3, 725.) ibi lustrabantur. Ea quae de duobus in urbe Libertatis atriis apud veteres scriptores tradi plerisque visa sunt, quorum alterum censorum praecipue usui destinatum fuerit (Liv. 43, 16.), in altero ab Asinio Pollione prima in urbe bibliotheca dedicata sit (Suet. Aug. 29. Isidor. origg. 6, 5, 2.), ea uni tribuenda esse

Beckerus p. 461. vidit, eidemque locum, ubi adversus Capitolium Quirinalis promineat, et postea forum Ulpium extructum sit, maxime convenire. Vetustissimum autem celebratissimumque regium atrium est, distans quidem ab aede Vestae (Liv. 26, 27.), sed exiguo spatio, regiae autem, quam Numa ipse et aedificasse et habitasse dicitur, pars, ut pulcre Ovid. Fast. 6, 267. significat. Servius vero, quo auctore atrium Vestae senatui habendo aptum dicat (7, 153.), eodem loco ubi perdocte aedem Vestae templum fuisse negat, nescio; Varronis certe longe diversa opinio fuit, qui l. L. 6, 20. sanctissimum Opis Consiviae sacrarium regiae ideo adiunctum fuisse dicit, ne eo praeter virgines Vestalem et sacerdotem quisquam intraret. In eodem sacrario Marti sacra fiebant, cuius numen hastis, quae consecratae ibi asservabantur, tanquam praesens inesse videbatur (Gell. 4, 6, 2. Plut. Rom. 29.). Et sacraria quidem vocantur loca in ipsis templis sanctiora, ubi consecrata supellex omnisque fere secretior sacrorum apparatus conditur (Serv. 12, 199. Gr. incert. ap. Serv. ed. Lion vol. 2. p. 371.), cum in donariis ornamenta et dona posita sint, in quibus minus fere religionis est. Privatorum quoque sacrorum sedes, quas quis aut in agro aut in aedibus suae religionis causa constituisset, quod sacraria interdum vocantur, velut sacrarium Bonae Deae in fundo T. Sergii Galli ap. Cic. p. Mil. §. 86., id proprium illarum nomen fuisse Ulpianus docet, loco eo magis notabili, quod privatorum etiam sacrorum evocationem fuisse testatur, dig. I. 8, 9. §. 2: *illud notandum est, aliud esse sacrum locum, aliud sacrarium; sacer locus est locus consecratus, sacrarium est locus, ubi sacra reponuntur, quod etiam in aedificio privato esse*

*potest. et solent, qui liberare eum locum religioue volunt, sacra inde evocare.* et dig. XLIII. 6, 1: *ait praetor: in loco sacro facere inve eum immittere quid veto. Hoc interdictum de sacro loco, non de sacrario competit.* Reliquum est, ut de delubris videamus, quod locorum genus volgaris loquendi consuetudo haud fere ab aedibus distinguit, peritiores iam vetustis temporibus subtiliori definitione adumbrare conati sunt, quos duas easque fide et fine valde dissimiles vias secutos esse video: aut enim ad nominis sonum incertissimas coniecturas finxerunt, aut locis quibus id nomen praecipue adhaerere senserant inter se comparatis, quid similitudinis intercederet indagabant. Et de veriloquii quidem ratione aliud alii placuit: quidam enim, ut ait Serv. Aen. 2, 225., delubrum esse interpretabantur quod uno tecto plura complectatur numina, quia uno tecto diluatur, ut Iovis Capitolini templum; Masurio Sabino ap. Serv. l. c. (cl. Paul. p. 73.) fustis delibratus et in effigiem dei formatus non insolita litterarum mutatione delubrum dici potuisse visus est; Varro denique in libro rerum divinarum ap. Macrob. 3, 4, 1. octavo (sed XXVII. ap. Serv. Aen. 2, 225. unde VI. coni. Merkel p. CXXIII.) pingui sane Minerva delubrum docet locum esse, in quo dei simulacrum dedicatum sit, sicut in quo figerent candelam candelabrum. Qui vero in vim potius et potestatem vocabuli, quam in originem inquirerent, delubrum definiebant (Macrob. l. c.) esse, *in quo praeter aedem area sit adsumpta deum causa*, ut sit in circo Flaminio Iovis Statoris. Quam opinionem eo verisimilius est certo loquendi usu niti, quod illius aedis non celebratissima memoria est, ut ne de conditore quidem satis constet (Becker p. 609.). Itaque librorum

pontificalium veterumque monumentorum apud illos auctoritatem valuisse putaverim, in quibus eadem ratione area Iovis Statoris delubrum vocari potuit, qua in sacris Argeorum libris locus ante aedem dei Fidi ap. Varr. l. L. 5, 52: *Collis Mucialis* (*Martialis* Scal. illud tuetur Becker p. 569. 575.) *quinticeps apud aedem dei Fidi in delubro, ubi aeditumus habere solet.* Hic quod quintum sacrarium in delubro fuisse dicitur aream significari apparet, quam ante aedem dei Fidi fuisse ex Livio quoque conicias 8, 20: *aenei orbes positi in sacello Sangus adversus aedem Quirini.* Ii qui Capitolium quoque delubrum dici narrabant, in veriloquio quidem explicando errarunt; si tamen certi aliquid secuti sunt, caussam nominis apparet ab area templo Iovis subiecta (Liv. 25, 3. 34, 53.) repetendam esse. Area Concordiae (Liv. 39, 56.) utrum templi fuerit, quod Cn. Flavius, an eius, quod Camillus (Ovid. Fast. 1, 641.) ad clivom Capitolinum condiderat, dubium est. In Palatio aeream, quam fulmine ictam Apollini deberi haruspices responderant (Dio Cass. 49, 15. Suet. Aug. 29.), ei deo Octavianus consecravit templumque paucis annis post dedicavit (726. a. u.). Has igitur aedes delubra vocaverint necesse est, qui eius vocabuli vim in areas cum templis coniunctas cadere observaverant. Nec illos puto opinionem magnopere fefellisse. Veriorem enim quam veteres grammatici nominis originem Hartung 1, p. 143. ostendit, qui delubra re et nomine loca deliberata interpretatur. Liberata autem dici constat (Cic. de legg. 2, §. 21. Serv. Aen. 1, 446.), quae sollemnibus caerimoniis verbisque conceptis ab hominum usu et commercio segregata et religione imbuta essent. Areas igitur praecipue delubra dictas esse verisimillimum

est, quarum non cultu et ornamentis, sed illa, qua diximus, liberatione maxime religio et sanctitas continebatur. Haec fere sunt, quae de iure rerum locorumque sacrorum, quibus propter sollemnem consecrationis ritum praesentis quasi numinis vis et tutela inest, dicenda videbantur, iam pergamus ad proximum religionis genus, quod rerum est, quae sanctae vocantur.

6. Et primum quidem quod Trebatius apud Macrob. 3, 3, 5. dicit: ***sanctum esse interdum idem quod sacrum idemque quod religiosum, interdum aliud, hoc est nec sacrum nec religiosum,*** hoc quale sit ex Aelii Galli ap. Fest. p. 278[b]. definitione apparet, 'quod sacrum est idem lege aut instituto maiorum sanctum esse, ut violari id sine poena non possit': qui hac opinor ratione usus est, quod in iis quae gradu differunt, superiora et pleniora vim habent eorum quoque, quae inferiora angustioraque sunt, cum in haec minime, quae illorum sunt, cadant omnia. Ut autem sanctum quid sit recte inveniri possit, primum de sanctione videndum est, cuius vim et usum luculenter Festi loco p. 317[b]. illustrare liceret, nisi praeclaro testimonio infelix illud codicis Farnesiani fatum dubitationum scrupulorumque caliginem obiecisset. Quinque enim primi versus in quibus non multum est utilitatis probabiliter satis redintegrati sunt de sexto septimoque, quos plurimum servari referebat, vereor ne iuste volgo desperatum sit; in ultimo vero paenultimoque fingi opinor possunt quae veri similia sint: ***Sanctum*** [ait dici Opilius Aure]***lius, quod*** [nec sacrum est nec religiosum.] ***at Aelius*** [Gallus quod utrumque esse] ***videatur*** [et sacrum et religiosum]. ***plerisque autem*** [quod qui violaverit ei] ***poena sit multa***[ve sancita...] ***se ponetur pro***

[.... unde] *et sanctio dict*[a legum, qua poenae fier]*et irrogatio* (*rogatio* cod.): *qui con*[tra fecerit capital esto]. Similiter Papiniano dig. XLVIII. 19. 41. est sanctio legum, *quae novissime certam poenam irrogat iis, qui praeceptis legis non obtemperaverint.* Plurimum religionis in sacratis sanctionibus est, quarum quae formae fuerint Cic. p. Balb. §. 33. (Liv. 3, 55.) docet; idem sollemne capitalis poenae carmen hac formula expressisse videtur de legg. 2, §. 21: quique non paruerit capital esto. Reliquarum sanctionum magnam probabile est varietatem fuisse, quas non legibus tantum de iure publico latis, sed plerisque, quae in privato iure versarentur, nisi quas imperfectas relinqui certis de causis oporteret (Puchta Inst. 1, §. 74[d].), adscribi mos esset; quin scto adiectam exhibet Frontinus de aquis. c. 127. Iam igitur quid sanctum sit Ulpiani verbis optime declarare licebit dig. I. 8, 9. §. 3: *proprie dicimus sancta, quae neque sacra neque profana sunt, sed sanctione quadam confirmata, ut leges sanctae sunt, sanctione enim quadam sunt subnixae. quod enim sanctione quadam subnixum est, id sanctum est etsi deo non sit consecratum.* Quodsi eorum, quae sancta sunt, hoc proprium est, quod poenae constitutione adversus hominum iniurias munita sunt (cf. Marcian dig. 1, 8, 8.), etsi ea res vim dedicationis, qua quae offeruntur deorum fiunt, minime habet, in ipsa tamen sanctione, quae erat populi R. religio et pietas, hoc gravissimum videbatur, quod res sanctae deorum tutelae custodiaeque traditae erant, quibus prisci homines omnia supplicia deberi credebant (Plin. 18, 3. §. 12.). Primum igitur leges sanctas fuisse testes consentiunt (Macrob. 3, 3, 6. Serv. 8, 382.). Eodem autem, quo leges, muri quoque urbium

iure erant, quorum primum fundamenta circumacto primigenio sulco summa cum religione condere mos esset, deinde sanctitatem et incolumitatem ea puniendi severitate tueri ac defendere, ut propter murum violatum in ipsum fratrem Romulus primus supplicii exemplum edidisse perhiberetur. Aelius igitur Gallus ubi tria iuris divini genera distinguit, sanctitatem muris tribuit ap. Fest. p. 278$^{b}$.: *sacrum aedificium, consecratum deo, sanctum murum, qui sit circum oppidum, religiosum sepulcrum, ubi mortuus sepultus aut humatus sit satis constare,* quae ex pontificalis disciplinae constitutionibus petita esse Cic. de nat. d. 3, §. 94. ostendit (cl. Fest. p. 285$^{a}$, 27.). Quod igitur Ulpianus dicit dig. I. 8, 9, §. 4. muros nec reficere licere sine principis vel praesidis auctoritate, neque aliquid iis coniungere vel superponere, haud scio an vestutioribus temporibus pontificum arbitrii fuerit. Ac ne in municipiorum quidem muris ullam iuris diversitatem fuisse Marcianus docet dig. I. 8, 8. §. 2: *in municipiis quoque muros esse sanctos Sabinum respondisse Cassius refert, prohiberique oportere, ne in his quid immitteretur,* ut non possint non argutiae videri quae docta de rebus sanctis disputatione d'Arnaud Coniect. var. 1, c. 14. p. 95. demonstrare studuit, sacros fuisse urbis Romae coloniarumque muros, municipiorum sanctos. Muros igitur non violare tantum, sed vel transcendere sacrilegium erat et capite puniebatur (Pomp. dig. I. 8, 18.), eademque sanctitate valla quoque castrorum erant, quae nemini impune transgredi licebat (Modestin. dig. XLIX. 16, §. 17.). Remissum vero paulum de antiqua severitate lege Iulia Augusta de peculatu (Rein Roem. Crim. Recht p. 675.) videtur, qua iisdem quibus qui hoc crimen commisissent,

ut sacrilegi quoque poenis tenerentur sanctum est. Significat quid de muris statutum ibi fuerit Ulpianus dig. XLVIII. 3, 11: *qui perforaverit muros vel inde aliquid abstulerit peculatus actione tenetur.* Portas vero, quae hominum usui destinatae sint et profanarum rerum quotidie commercio pateant, et ipsas profanas fuisse Varro ap. Plut. q. R. 27. docet, quamquam his quoque aliquid religionis tribuit Hermogenianus dig. XLIII. 6, 2: et Iustinianus Inst. II. 1. §. 10: *sanctae quoque res, ut muri et portae, quodammodo divini iuris sunt et ideo nullius in bonis sunt.*

7. Proximum est, ut de religioso videamus, quod nimis fere angustis finibus a claris iuris civilis auctoribus circumscribi solet, quorum temporibus propria eius vocabuli vis vetustate oblitterata erat. Hi igitur ex unius, quod solum noverant, generis iure et conditione quid religiosum esset omnino definire conati sunt. Itaque Gaius, qui in sepulcris maxime id nomen haerere vidisset, sic sibi persuaserat 2, 4: sacra esse, quae dis superis consecrata sint, religiosa quae dis Manibus relicta. Apud alios non tantum deorum Manium religio, quantum eius, qui mortuum intulisset voluntas valuisse videtur, nam, ut ait Marcianus dig. I, 8, 6. §. 4: *religiosum locum unusquisque sua voluntate facit, dum mortuum infert in locum suum.* (cf. Inst. II. 1. §. 9.). Loca enim religiosa privatorum hominum voluntate fiunt, quo iure sacraria quoque sunt, quae privatorum sacrorum causa in agris praecipue constitui mos erat, qualia sunt tesca ap. Varr. l. L. 7, 10. fanum agreste ap. Ovid. Fast. 4, 756. Larum sedes ap. Cic. de legg. 2. §. 27. templa ap. Dolab. p. 302. L. Sed ne hoc quidem ad definiendum satis est, cum non

omnium eius generis locorum a privata superstitione repetenda religio sit, verum fuerint quae publica cura et auctoritate colerentur. Quorum memor fuit Masurius Sabinus, qui ap. Gell. 4, 9, 8. definit religiosum esse, quod propter sanctitatem aliquam remotum ac sepositum a nobis est, nominis ille magis explicationem, quam strictam iuris normam quaerens, cum quod posuit in res, quae divini iuris sunt cadat omnes. Itaque subtilius longe et sagacius Aelius Gallus invenisse videtur, qua maxime re eius quod religiosum est vis et potestas contineatur, cuius haec ap. Fest. p. 278[b]. definitio extet: *Religiosum esse quod homini ita facere non liceat, ut si id faciat contra deorum voluntatem videatur facere.* Ad quam normam quemadmodum ius locorum, quae religiosa vocantur descripserit, etsi a Festo distincta et aperta explicatione declaratum non sit, tamen ex ambagibus colligere licet: cum enim l. c. Aelius sic argumentetur, ut in locum, qui consecratione sacer sit, omnia, quae propria iuris divini sint, cadere dicat, ubi primum sanctum eum esse ostendit, *eundem* pergit *religiosum quoque esse quoniam (qui non iam* cod.*) sit aliquid, quod ibi homini facere non liceat, quod si faciat adversus deorum voluntatem videatur facere.* Hic igitur religiosa loca putavit, quae non tam rituum verborumque sollemnitate, quam pia hominum sollicitudine et tacita quadam deorum immortalium custodia quasi obsaepta religione et a profana volgi contagione remota essent, ita ut si quis ibi fecisset, quod facere non liceret, eius non ad magistratuum officium, verum ad ipsum deorum numen castigatio pertinere videretur. Et primum quidem quod de sacris locis Ulpianus dig. XLVII. 12, 3. testatur, nihil ibi fieri licuisse, unde

deformitatis aliquid vel incommodi nasceretur, haud dubie in religiosa quoque cadit omnia. Itaque in his nec habitare nec profani quidquam agere fas erat, et in sepulcris ne humano quidem iure impune, ut ex ipso edicto apparet ap. Ulpian. dig. XLVII. 12, 3. In nonnullis vero singulari cautione opus erat, velut in Doliolos ad cluacam maximam (Becker p. 384.), ubi despuere religioni erat, quod ibi sive Numae temporibus (Varro l. L. 5, 157.), sive accedentibus ad urbem Gallis (Liv. 5, 40.) sacra quaedam defossa esse fama erat. Locorum vero de caelo tactorum tanta religio fuit, ut ea pedibus inire, imo secundum haruspicum libros vel intueri piaculum esset (schol. ad Pers. 5, 27. Ammian. Marc. 23, 5, 13.). Itaque Curtium lacum, quem ne quis imprudens calcaret senatus saepiri iusserat (Varr. 5, 150.), peritiores pro loco fulgurito habebant. Fulgura enim quorum publice et per pontifices expiatio suscepta esset, sollemnibus caerimoniis monumento condere mos erat, quod putealis instar contectum non esset, sed sursum versus foramine semper pateret (Fest. p. 333[b].). Cuius generis quod passim repertum est reliquiarum Mommsenus Berichte d. Sächs. Ges. 1849. p. 289. illustravit. Interdum ara in loco attacto statuebatur, ut apparet ex lapide ap. Orell. 1240: *Deo Fulgeratori aram et locum hunc relig. ex haruspic. sent. Q. Publicius Front. pos. et d. d.*, quem suspitione liberavit Henzen vol. 3. p. 128. In ipsa urbe nobilissimum erat puteal Scribonianum (Fest. p. 333[b].), ad quod Sigonius de iud. 1, c. 28. p. 504. (cl. Heineccio Synt. p. 654. Haub.) suspicatur iudices, antequam munus inirent, in leges iurare solitos esse, Dionysii loco ut videtur fretus de cote et novacula Atti Navi auguris 3, 71: *ὀλίγον δ' ἄποθεν αὐτῆς*

*ἥτε ἀκόνη κεκρύφθαι λέγεται καὶ ὁ ξυρὸς κατὰ γῆς ὑπὸ βωμῷ τινι· καλεῖται δὲ φρέαρ ὁ τόπος ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων.* Sed Atti Navi puteal a Scriboniano distinguendum esse Muellerus Etr. 2, p. 171. docuit. Reliquorum quae in urbe pro religiosis colebantur, locorum memoria cum ipsius urbis initiis coniunctissima est. Eorum Varro libro rerum div. VII. (Merkel proll. p. CXLV.) duo genera distinxerat, alterum quod propter piam egregii alicuius viri vel rei recordationem, cuius in omnium mentibus nomen et favor haereret, tanquam caelesti aliquo spiritu afflatum videretur, alterum quod facinoris alicuius et execrationis tristi memoria horrore animos hominum et sollicitudine tangeret. ***Inter duas filias regum*** verba sunt Varronis ap. Gell. 18, 12, 9. ***quid mutet, inter Antigonam et Tulliam est animadvertere***, cum ab illius pietate locus in agro Thebano nomen nactus sit (*σύρμα Ἀντιγόνης* Paus. 9, 25, 2.), huius aeternam ignominiam vici scelerati nomen ad posteritatem propaget (Liv. 1, 48.). Et in locis quidem, quae pia verecundia tanquam pignora quaedam divinae originis populus R. venerabatur, primum nominanda est casa Romuli, quam olim in Capitolio, postea loco mutato in Germalo fuisse vulgaris hominum doctorum opinio fuit (Merkel p. CXLVI.) recte a Beckero p. 401. refutata. De Germalo enim Dionysius 1, 79. p. 66. oculatus testis est: *ὧν (σκηνῶν) ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ ἦν τις ἐκ τοῦ Παλαντίου ἐπὶ τῆς πρὸς τὸν ἱππόδρομον στρεφούσης λαγόνος Ῥωμύλου λεγομένη, ἣν φυλάττουσιν ἱεράν.* Eodem loco quod in Argeorum libris ap. Varr. 5, 54. aedes quoque Romuli commemoratur dubitationem affert, num eo nomine casa liberalius nuncupata an de diverso plane sacello cogitandum sit. Tectum casae stramentis

constans eademque materia semper refectum (Vitruv. 2, 1, 5.) pulcrum est antiquae simplicitatis monumentum. Idem vero quod de casa *regia* in Capitolio traditur (Verg. 8, 654.), spectat id ad curiam Calabram. Reliquorum locorum religiosorum notabiliora fere a Merkelio l. c. illustrata sunt: ficus Ruminalis, quam olim in faucibus Palatii prope Lupercal fuisse miraculo postea in comitium translatam esse fama erat (Plin. 15, 20. §. 77. Fest. p. 169[a].); lacus Iuturnae ad aedem Vestae (Dionys. 6, 13.); locus in campo ad Capreae paludem (Liv. 1, 16.), ex quo Romulus in caelum elatus dicebatur, denique Terentum inferorum Deorum numine et sacris imbutum. In iis vero locis, quorum in tristis rei recordatione religio versabatur, praecipue numerandae sunt areae domorum, quae propter scelus aliquod civium, quorum fuerant, publicatae eversaeque sunt. Sp. Cassii quas in Carinis habuerat aedibus dirutis area plus ducentis annis vacua relicta est, pars tandem aedi Telluris, quam Sempronius Sophus (486. a. u.) voverat, aedificandae destinata (Dionys. 8, 79. Liv. 2, 41.). In Aequimelio ad vicum Iugarium domum Sp. Maelii olim fuisse (Liv. 4, 16. Cic. de dom. §. 101.) volgaris veterum opinio fuit, quamquam aliam nominis originem non sine ratione Dionys. 12. fr. 1. sequitur. Locum religiosum fuisse credere non vetat quod agni ibi in usum sacrificiorum venire solebant (Cic. div. 2. §. 29.). In Manlii Capitolini area consentiunt fere scriptores (Liv. 7, 28. Ovid. Fast. 6, 183.) aedem Iunonis Monetae a Camillo dedicatam esse; a quibus plurimum Cicero de dom. §. 101. discedit, qui quod lucis eam duobus vestitam conspici dicit, de convalle, quae inter cacumina montis Capitolini sita est, cogitasse videtur. In Palatio Vitruvii Vacci Fundani et scelus

et supplicium loci, cui Vacci pratis nomen fuit, vastitas et solitudo testabantur (Liv. 8, 19.). Multis praeterea locis hominum superstitio tristis memoriae notam adiecit: e porta Carmentali in summa commercii frequentia neminem tamen dextro fornice, quo Fabii exierant, egredi ausum esse notum est (Ovid. Fast. 2, 201. Liv. 2, 49.). In Circo locus monstrabatur, lapide albo stratus (Fest. p. 174[b].), ubi decem tribunos olim occubuisse fama erat. Prope vicum Iugarium (Varr. 5, 157.) locus vocabatur ad busta Gallica maceria saeptus, ne quis imprudens ingrederetur: quibus omnibus alia similia adici facile possint, quae nunc enumerare longum est.

8. Iam transeundum est ad genus locorum, quorum in reliquiarum verecundia et officiis dis Manibus debitis religio versabatur. Oportebat autem sepulcrorum iura eo diligentius et divina auctoritate et legibus humanis constitui, quod in infinita posteritate et tanta humanarum rerum vicissitudine tuta ea et integra nisi valido aliquo praesidio servari non poterant. Et primum quidem in summa religionum observantia satis tamen constabat, non quemlibet locum, in quem mortuum quis intulisset, religiosum fieri. Ipsum enim pontificum collegium (Cic. de legg. 2. §. 58.) cum ante portam Collinam templum Honoris aedificandum esset et multa ibi sepulcra inventa essent, omnia exarari iussit, decreto facto, publicum locum privata religione obligari non potuisse. Secundum eandem rationem ne in privatum quidem agrum invito domino ab alio mortuum inferri licebat (Cod. III. 44, 2.), quamquam condita semel ibi ossa effodere vel eruere fas non erat nisi venia vel a pontificibus vel a principe impetrata (Labeo ap. Ulpian. dig. XI. 7, 8. pr.). In eum vero agrum,

cuius penes alium ususfructus, penes alium proprietas esset, domino ius quidem inferendi vel nolente fructuario erat, religiosum autem eum locum facere non videbatur (Ulp. h. t. 2. §. 7.). Idem Papinianus h. t. l. 53. in socium cadere ait, qui in fundum communem invito socio mortuum inferre velit. Condito autem, ubi ius fasque esset, mortuo iustisque ibi factis sempiterna locus religione obligabatur, quam qui violare ausus esset, poenas perinde ut in culpa erat luebat, ea tamen lege, ut id genus culpae infamia semper sequeretur (Ulp. dig. XLVII. 12, 1.). Et omnino quidem quanta quamque diligenti in cura sepulcrorum sanctitudo versata sit, argumento est quod cum refici monumentum oporteret, ne hoc quidem nisi re ad pontifices relata recte fieri poterat. (Ulp. dig. XI. 8, 5. §. 1. Marcian. dig. XLVII. 12, 7.). Quom autem cum ipso loco, ubi sitae essent reliquiae, perpetuo aliquo religionis vinculo coniunctae essent, tantum abfuit, ut id privata voluntate quisquam solvere posset, ut si quando iusta necessariaque de causa traiciendae viderentur, non pontificum solum decreto principisve permissu opus esset, sed piaculo etiam deorum Manium placandorum causa faciendum esset. Cui rei egregio documento est lapis Romae repertus (Orell. 794. cl. Henzen vol. 3. p. 78.), in quo M. Ulpii Aug. lib. et triclinarchae, qui Selinunte prid. idus August. Nigro et Aproniano cos. (p. Ch. 117.) decesserat, traiectae dicuntur reliquiae III. non. Febr. ex permissu collegii pontificum piaculo facto Catullino et Apro cos. (p. Chr. 130.). Provinciales autem in eiusmodi causis Romam ad pontificum collegium reici cum molestum longumque videretur, Plinio ea de re quaerenti (ep. 10, 68.) Traianus respondit, religioni satisfactum esse, si rectoribus provinciarum causam

quisque probasset. Nec aliud Antonino imp. visum est Cod. III. 44, 1. cl. Paul. dig. XI. 7, 44. §. 1. Venia igitur nacta cum sede deos Manes moveri liceret, id ipsum noctu fieri debuisse inde conicias, quod Paulo teste rec. sent. 1, 21, 1. (cl. Guther. de iur. pont. 2, c. 9. p. 96.) ne ea quidem cadavera, quorum humationi mora facta esset, interdiu transferri fas erat. Cum autem in omni, quam agri subirent, dominorum mutatione fieri non posset, quin saepissime ad alium agri proprietas, ad alium monumenti, quod in agro esset, ius et cura pertineret, legibus cautum erat, ut iter ad sepulcrum iis, quorum in potestate esset, concederetur. Quod enim Cicero pro Rosc. Am. §. 24. queritur Sex. Roscio ne iter quidem ad sepulcrum patrium relictum esse, singularem quandam adversus proscriptorum filios severitatem non de veteris iuris inclementia omnino explicaverim cum Gutherio de iure Manium (Paris. 1615.) p. 443. Qui enim agrum in quo sepulcrum esset, alii vendidisset, tacitus sibi ius aditus ambitusque excepisse videbatur (Pompon. dig. XLVII. 12, 5.); is vero, qui in agro, cuius ipse dominus non fuisset, monumentum haberet, precario iter a possessore petere, neque is id facile negare solebat, quem ad pretium accipiendum praeses cogere posset (Ulp. dig. XI. 7, 12. pr.). Hinc frequentissimae sunt in titulis sepulcralibus cautiones de itu ambituque excepto, quibus adduntur fere constitutiones de apparatu sacrificiorum, quem sive sumi de fundo placeat, sive suggeri ab herede. Ex plurimis eius generis exemplis pauca delibemus: Orell. 4373: *et itum aditum ambitum sacrificique faciundi causa proximis eius recte liceat*, ad quorum exemplum suppleta sunt, quae ib. 4382. extant: *itu act*[u] *amb*[itu] *inlat*[os] *mort*[uos] *mort*[uasve] *inferre coron*[are] *sacrif*[icare] *sacrif*[i-

cium] *fac*[ere] *ei a*[ut] *q*[ui] *er*[unt] *pr*[oximi] *r*[ecte] *l*[iceat]. ib. 4379: *excipit itus actus ... virgar. ligni sacrificiis faciundis et cetera, quae in lege publica continentur.* ib. 4374: *itus aditus ... libertis libertabusque meis omnib. pateat. h*[er]*es* [st]*ruem dato ad sacrificia facienda quotiens quomque opus erit*, ubi struem de lignis nec de libi genere (Cato r. r. 134.) intelligendam esse exemplo ex cenotaph. Pis. allato probavit Marini Iscriz. Alban. p. 64. Quaesitum iam apud veteres ictos esse invenimus, quibusnam finibus locus, in quem mortuum quis intulisset, religione occupetur. Et Celsus quidem ap. Ulpian. dig. XI. 7, 2. §. 5. succincta satis et clara definitione utitur: *non totus, qui sepulturae destinatus est, locus religiosus sit, sed quatenus corpus humatum est*, formulam is haud dubie significans, qua in lapidibus fere quot in fronte monumentum, quot in agro pateat indicatur. Cuius antequam sententiae subscribamus, videndum est de locis, quae ipsi testatores sepulcris coniungere solent sive 'tutelae' sive 'custodiae' nomine, quod eorum illa reditu sarta tecta praestentur (cf. Guther. de iur. Man. p. 405.). Possunt autem sepulcro vel hortus vel area vel agri modus vel denique aedificia cedere; cuius generis cum summa sit in lapidibus varietas, nunc in paucissimis nos contineamus: Orell. 4369: *locus sepulcri continet per cippos dispositos iuger. quatuor et nubilare. locus habitationis tutela monumenti.* ib. 4373: *ut ad id sepulcrum hortus, qui est cinctus maceria et diaeta, adiuncta ianuae, custodiae causa sepulcro cedat.* ib. 4401: *huic monumento cedit cum viniola ... area cum aedificis et horreo et cisternae.* Haec igitur, quae adhaerent monumentis

extra commercium fuisse ex Frontino apparet, qui de controv. agr. p. 23. (cl. Rudorff Grom. Instit. p. 461.) moesileis, quae sui iuris sint (cf. Orell. n. 4406.), hortos agrosque suos et servari et, si abalienata sint, restitui oportere dicit. Religiosane ea loca fuerint difficile dictu praecipue in agris est, Papiniani certe verba ambigua sunt dig. XVIII. 1, 73. §. 1: *intra maceriam sepulcrorum hortis vel ceteris culturis loca pura servata, si nihil venditor nominatim excepit, ad emptorem pertinent*, neque enim inde ut excepta religiosa fuerint sequitur. imo fieri potuisse, ut ager licet coniunctissimus cum sepulcro, purus i. e. religione liber (dig. XI. 7. 2. §. 4.) nihilo minus esset, egregio documento est titulus ap. Orell. 4371: *huic monumento tutelae nomine cedunt agri puri iugera decem et taberna, quae proxime eum locum est.* Ut igitur si de agro non vendendo testator cavisset, voluntati eius morem gestum esse probabile est, ita si nihil definitum esset, persuasum iuris peritis fuisse videtur, omne praeter ipsum monumentum solum profanum purumque esse et recte venire posse; quod docemur rescripto Philippi Aug. Cod. III. 44, 9. (cl. ib. 4.): *locum quidem religiosum distrahi non posse manifestum est; verum agrum purum monumento cohaerentem profani iuris esse ideoque efficaciter venumdari opinionis non est incertae.* Ad universam autem hanc quaestionem illustrandam egregie facit titulus Neapolitanus (Mommsen 2646. Orell. 4405.) sententiam Alfeni Senecionis subpraefecti classis pr. Misen. exhibens, plenam religionis et iustitiae. Cum enim Rufinus quidam miles a Patulciis agrum cum aedificiis pro puro et profano emisset, quem venire nefas erat, quia destructorum effossorumque clam

sepulcrorum in eo agro haud dubia vestigia supererant, cumque multis annis post Patulcii de eius agri possessione apud Senecionem agerent, patefacta hominum fraude Senecio agrum illum aequum censuit publicum sepeliendorum militum classis pr. Mis. in usum fieri, Patulcios autem propter laesam religionem agri pretio cum anatocismo multari; aedificia denique et si quid cum his puri profanique coniunctum esset ad Rufini filium pertinere (cf. Guther. de iur. Man. p. 35. 405. Rudorff Grom. Inst. p. 461.). Fuit igitur tanta sepulcrorum religio, ut non modo omnem eiusmodi emptionem rescindi oporteret, quoniam sacri religiosique nunquam quicquam venit (dig. XVIII. 1, 22. et 72. §. 1.), sed puniendi etiam viderentur, qui dolo malo sacratam dis Manibus sedem vendidissent, quod luculenter confirmat Gordiani rescriptum Cod. IX. 19, 1: *res religioni destinatas ... qui contigerint et emere et distrahere non dubitaverint, tametsi iure venditio non subsistat, laesae tamen religionis in crimen inciderunt.* Verum haec sponte apparet non caveri nisi de monumentis, quibus iam inlatae reliquiae fuissent, nam si qua functa nondum et pura adhuc essent, ea et vendi licebat et donari (Ulp. dig. XI. 7. 6. §. 1.). Quam ob causam egregia aliqua donationum instrumenta (Orell. 4358. Grut. 1081, 1. 956, 4. 614, 10.) in quibus vetusto ritu et sollemnibus, quibus mancipatio fieri solet, caerimoniis alter alteri possessionem monumenti concedit, fieri non potest, quin ad sepulcra spectent, quae religiosa nondum facta sint, quamquam erunt fortasse, qui malint cum Gutherio de i. M. p. 423. de solo iure inferendi cogitare.

Hic enim rectissime de universa sepulcrorum religione sic sibi persuasit (l. c. et p. 412. 445.), ipsa quidem loca

cum nullius in bonis sint, extra commercium perpetuo esse, ius tamen mortuum inferendi nullam unquam religionem nec legari nec donari nec vendi vetuisse. Cui opinioni veteris testis auctoritas accedit, Diocletiani cod. VI. 37, 14: *monumenta quidem legari non posse manifestum est, ius autem mortuum inferendi legare nemo prohibetur.* Et legati quidem donatique eius iuris innumera sunt in inscriptionibus sepulcralibus exempla, nam libertos libertasque, nisi nominatim iis patronus cavisset, nec participes sepulcri fieri, neque inferre quemquam licebat (Ulpian. dig. XI. 7, 6. pr.). Erant quoque, qui sive liberalitate sive ambitione permoti municipibus suis locum sepulturae donarent *extra auctorateis et quei sibi laqueo manus attulissent,* Orell. 4404. Vendendi autem tam late patuit mos, ut fuisse videantur, qui ea re quaestum facerent. In magnis enim hypogeis et columbariis, qui monumenta propria non haberent, ius vel singularum vel plurium ollarum pretio sibi comparabant; quod commercii genus optime illustrat columbarii imago ad portam D. Sebastiani reperti, quam adumbravit O. Iahn spec. epigr. p. 28. et 68. Venditorum ibi loculorum plerumque haec ratio est, ut ius inferendi emptum esse dicatur: p. 42. n. 158: *emit de L. Pinario quod fuit iuris.* p. 39. n. 122. *emit a Mamilio Epaphra ius.* p. 29. n. 8. *emit de Aufidio iuris monumenti,* ubi de genetivo conf. Jahn p. 76. quod vero ollae interdum ipsae veniisse significantur idem haud dubie valet p. 30, 18. p. 31, 30. 38. p. 32, 39. 41. p. 39, 114: in quibus L. cuiusdam Pinarii saepius (Iahn p. 71.) occurrit, qui ollas parvo coemptas cum lucello vendidisse videtur. Haec omnia etsi luculenter docent omne, quod quis iuris haberet

vel in integro sepulcro vel in locis, quae ollam tantum arcamve caperent, abalienare eum sine religione potuisse, idque saepissime factum etiam esse, sunt tamen permulta, unde plurimorum honestissimorumque hominum ingenia monumentorum venditiones aversata esse intelligas, quod ea re quasi maculae aliquid loco adspergatur, ubi sancta maiorum imago tanquam in aliquo pietatis et recordationis sacrario habitet. Quod elucet praecipue ex insigni titulorum multitudine, in quibus gravissimis testatores obtestationibus hoc unum petunt ac deprecantur, ne ab heredibus monumentum vel distrahatur vel mancipetur vel permutetur vel aliquo commercii genere de nomine familiae exeat, Orelli-Henzen 7331: *ne veneat ne fiduciare liceat, ne de nomine exire liceat secundum sententias pontificum CC. VV. SS.* Orell. 4386: *hoc autem monumentum cum aedificio neque mutabitur neque vaeniet neque donabitur neque pignori obligabitur, sed nec ullo modo abalienabitur ne de nomine exeat familiae suae.* Grut. 638, 4: *ea conditione ne fiducient ne vendant neve alio quo genere id sepulcrum sive monumentum est alienare ulli potestas sit.* Plerumque vero id quod illis haud dubie ad persuadendum efficacius visum est, multam iis, qui contra fecissent, constituebant eamque vel pontificum arcae vel aerario populi R. inferri iubebant; unde haec fere in lapidibus sepulcrorum venditoribus denuntiantur: Orell. 4427: *dabit poenae nomine ark. pontif. HS. C. n. et ei, cui donatum vel venditum fuerit eadem poena tenebitur.* Grut. 383, 4: *inferet arcae pontificum HS. LM. n.,* quem numerum in his multis sollemnem fuisse Marinius arbitratur Iscriz. Alb. p. 76. n. 6. Orell. 4425:

*dare damnas esto aerario po. Ro. SH. XV. M. n. et collegio pontificium SH. XV. M. n. et emptor et venditor.* Interdum pecunia multaticia virginum Vestalium arcae cedit Grut. 861, 13: *inferet virginib. Vestalib. HS. XX. n. aut aerario po. Ro.* cf. Orell. 4393. Mommsen I. N. 6916. Iahn spec. ep. p. 28. n. 29. Fuerunt qui eodem sanciendi genere iis minarentur, qui vim sepulcro inferre vel ossa defuncti inquietare auderent: *manus qui intulerit* Orell. 4423. *titulum qui violaverit* ib. 4424.

Harum sanctionum quae vis quodque ius esse potuerit quaesitum a multis est et diversissimis rationibus rationibus explicatum, cum mirum sane sit et in omni iure sine exemplo privatum hominem suo arbitrio aliis, qui culpam aliquam admiserint, poenam multamve, quam ipsi videretur, imponere potuisse. Et vetustiores quidem plerumque icti propter formulam 'poenae nomine' (Grut. 809, 2. Orell. 4427.) de legatis poenae nomine relictis cogitarunt (Cuiac. ad African. dig. XXXIV. 6, 1.), quorum errorem elegantissime Marinius Iscr. Alb. p. 73—76. refutavit: poenae enim causa relicta, quorum omnino exigua in iure anteiustinianeo fuerit auctoritas (cf. nunc Gai. 2, 235.), heredis heredumve coercendorum causa legari, sepulcrales autem multae tantum abesse ut solis heredibus imponantur, ut non modo quilibet, qui contra facere ausus esset teneatur, sed ut interdum ipsis cedant heredibus. Gutherius autem, si viri sententiam miris ambagibus implicatam recte intellexi, legitimae quidem poenae multas istas vim habuisse negat (de iur. Man. p. 417—19.), verum easdem cum propter voluntatis supremae auctoritatem, quae permagna semper apud Romanos fuerit, tum ob summam

sepulcrorum religionem 'conditionum' saltem loco fuisse, quas plerumque praetor in iudicando secutus sit. Et de fisco quidem, cui non liceat stipulari, nisi quae ex legibus publicis ei debeantur (Papinian. dig. IV. 8, 42.), dubiam rem esse; pontificum vero arcam de poena sibi cedente apud praetorem iudicium experiri potuisse (de iur. pontif. 2, c. 9. p. 93.). Quae etsi ad persuadendum non satis valida sunt, rei tamen probabilitate commendantur, cum improbabile sit, tot homines inani poenae comminatione, quae patrem familias ne deceret quidem sibi placuisse, et certo aliquo iure haud dubie confisi sint. Id ius quale fuerit acutissimus Marinius l. c. p. 76. ingenue se ignorare fatetur, sed his fere qui secum uti velit, non nimium a vero aberraturum. Quod enim praetor dicat ap. Ulpian. dig. XLVII. 12, 3. pr.: *cuius dolo malo sepulcrum violatum esse dicetur, in eum in factum iudicium dabo, ut ei, ad quem pertineat, quanti ob eam rem aequum videbitur condemnetur,* id cum multarum sepulcralium ratione optime conciliari, si statuatur iudicem plerumque eadem poena, qua testator constituisset, manibus eius parentandum censuisse: quin ne liberum quidem id illi prorsus fuisse significari videri tenui legis alicuius memoria, quam simul cum multa constituta servaverit lapis ap. Maffeium Mus. Veron. p. 320, 3: *huic monumento intercedit lex, ne donatio fiat. quod si quis admiserit inferet aerario p. R. HS. XXX. N.* Poteramus quaestionem, in qua tantus vir ignoratiam fassus sit, iam relinquere, nisi res quasdam, quae egregie eius coniecturam confirmant, plane silentio transmittere religiosum videretur. Primum igitur ex constitutione testatoris violata iustam sepulcri violati quaestionem nasci

potuisse quis dubitet, cum delatori quoque partem multae cessisse legerit Orelli-Henzen 7337: *tunc poenae nomine dabit rei p. Aquil. HS. XX. n. delator quart. accip.* Deinde vero confidentius aliquanto, quam a Marinio factum est, affirmare licet sepulcris quoque nonnullis, sicuti fere aedibus sacris (Orell. 2488—90.) leges suas fuisse, quibus quo quodque iure esset, quid praestari, ut sartum tectum servaretur, oporteret, qui ius inferendi haberent, denique illud de multis eorum, qui contra fecissent, definitum ac perscriptum esset: neque enim utrum sepulcrum familiare, an hereditarium esset, neque quid heres monumento deberet, neque quantum agri ad sepulcrum pertineret ullo modo sciri poterat, nisi horum omnium certa et cum fide consignata memoria extaret. Inde pauca plerumque et quae maxime scire homines referret, lapidibus insculpi solebant: singula qui accuratius cognoscere cupiat, eum ad legem publicam titulus Orellianus relegat 4379, qui certissimam explicandi viam demonstrat. Quod autem publica ibi lex appellatur, haud scio an tabulae istae magistratuum curae mandatae fuerint; de aedilibus maxime cogitaverim propter lapidem ap. Orell. 4355: *in hoc monumento sive sepulc. corp. per*[missu] *aedil. inferri licebit.* Haec igitur sepulcra, quorum omnium peculiari quadam lege religio niteretur, nomine quoque a reliquis distincta fuisse videntur, siquidem haec ipsa sunt, quae *sui iuris moesilea* vocantur ap. Frontin. de contr. agr. p. 23. et in titulo ap. Orell. 4406: *T. Aelius . . . petit a pontifices, ut sibi permitterent reficere n*[ovum] *monumentum iuris sui.* cf. Iahn spec. ep. p. 76.

Pulcro ac vetusto populi Romani more institutum hoc erat, ut qui in vita vinculo aliquo naturae vel pietatis

coniuncti fuissent, eorum etiam post mortem consortium aliquod esset vel species saltem consortii eodem sepulcro reliquiis conditis. Sicut autem nulli hominum societati vel ordini vis sua sanctitasque constat, cui aliena et dissimilia immiscueris, ita ad sepulcrorum communionem sine piaculo non videbantur admitti posse nisi quibus ab eadem stirpe origo idemque nomen esset, neque de ulla re subtilius, quam de iure inferendi et legibus et ipsorum testatorum constitutionibus caveri solebat. Et vetustis quidem temporibus gentiles omnes eodem monumento utebantur, cuius praeter gentiles particeps fiebat nemo. Cic. de legg. 2. §. 55: *tanta religio est sepulcrorum, ut extra sacra et gentem inferri fas negent esse, idque apud maiores nostros A. Torquatus in gente Popilia iudicavit.* Defunctorum autem cultum aliquem fuisse et sacra stata die ad sepulcrum facienda Dionysius indicare videtur 11, 14: *καὶ προγόνων (τῆς Ἀππίου γενεᾶς) δαίμονας οἷς μετὰ θεοὺς δευτέρας τιμὰς καὶ χάριτας ἀποδίδομεν κοινάς.* Libertis autem (cf. Niebuhr R. G. 1, p. 357.) monumenti communionem non omnibus ipso iure, sed singulis patronorum suorum voluntate concessam fuisse putaverim, posterioribus certe temporibus pro beneficio id semper patronorum habitum est (Ulp. dig. XI. 7. 6. pr.). Quemadmodum quae gentes olim fuerant, extincta paulatim propia eius nominis vi, in familias magis magisque dilapsae sunt: ita vetusta gentiliciorum sepulcrorum communione sublata, iura eius similitudoque in iis, quae familiaria vocabantur, maxime haeserunt. Noverunt enim veteres icti, quorum nunc libros manibus terimus duo sepulcrorum genera, *familiaria* et *hereditaria,* quae quid differant optime apparet ex duabus sollemnibus cavendi

formulis, quibus utrius unumquodque sepulcrum iuris sit in lapidibus indicari solet: quae enim monumenta heredes sequi testatores iubent (*H. M. H. S.* conf. Orell. 4397.), hereditaria esse apparet; quae sequi vetant (*H. M. H. N. S.* conf. Guther de i. M. p. 429.) familiaria. Hic primum quidem qui heredes appellantur, non suos heredes verum exteros intelligi et ostendit quod interdum expresse additur (Gruter. 523, 5.), et maxime ipsius rei ratio, qua sicut bona defuncti, ita ius monumenti ad agnatos praecipue pertinuit. Nam ex agnatis ne ii quidem, qui exheredati essent, sepulcro excludi, nisi nominatim testator cavisset (Ulp. dig. XI. 7, 6. pr.), fas habebatur. Deinde vero, quod heredem sequi monumentum formula vetat, non ita explicandum, quasi exteri heredes omnino admittendi non fuerint, quos ibi sepelire licuisse certissimis testimoniis constet (Ulpian l. c.), sed nil nisi hoc cavetur, ne universi monumenti ius et cura ad hominem mente et origine alienum, quem nulla recordatio, nulla pietatis sollicitudo tangat, unquam redeat. Iam igitur familiarium sepulcrorum, quae vis et potestas fuerit aptissime lapidum duorum verbis definire licebit, in quibus testatores ita sanxerint Orell. 4403: *ut usque ad unum ex domo eorum qui extiterit possideat, ne ad exterum perveniat.* et ib. 4395: *excepitque, ne quis eos* (sc. hortos cum monumento) *venderet, set per genus ipsorum possessio decurreret vel per atnatos vel manumissos.* Itaque quod Gaius dicit dig. XI. 7, 5: *familiaria sepulcra dicuntur, quae quis sibi familiaeque suae constituit,* agnatos significat, etiamsi heredes scripti non essent, ius monumenti omnes habuisse (Cod. III. 44, 13.), ex cognatis neminem nisi cui nominatim testator tribuisset, ut ap-

paret ex Cod. III. 44, 8. *ius familiarium sepulcrorum ad affines seu proximos cognatos, non heredes institutos, minime pertinet.* Iam vero cum salva religione fieri non posset, ut familiare sepulcrum de nomine et familia eius, a quo conditum esset, exiret, huic uni legi omnes, qui illum sequerentur, testatores adstrictos fuisse apparet, ne monumenti possessionem testamento ad exterum transferrent; eosdem tamen optimi testes docent nulla unquam religione impeditos fuisse, quominus quoscunque vellent participes monumenti facerent, imo sic sibi iuris periti persuasisse videntur, nisi exceptum quid fuisset, omnibus et suis et exteris heredibus locum in monumento concessum videri, qua de re egregius exstat Ulpiani locus dig. XI. 7. 6. pr.: *sed in utroque* (i. e. in familiari et hereditario sepulcro) *heredibus quidem ceterisque successoribus, qualescunque fuerint licet sepeliri et mortuum inferre, etiamsi ex minima parte heredes ex testamento vel ab intestato sint, licet non consentiant alii,* quem optime illustrat Cod. III. 44, 13. (cl. ib. 4.): *ius sepulcri, tam familiaris, quam hereditarii, ad extraneos etiam heredes, familiaris autem ad familiam, etiamsi nullus ex ea heres sit, .... pertinere potest.* Hereditarium sepulcrum est, ut ait Gaius dig. XI. 7, 5., *quod quis sibi heredibusque suis constituit, vel,* ut pergit Ulpianus, *quod pater familias iure hereditario acquisivit,* quo subtiliter significatur, quod proprium eius generis est, legari id recte pieque exteris heredibus posse. Itaque de hoc praecipue intelligendum videtur, quod rescripsit Diocletianus cod. VI. 37, 14: *ius autem inferendi legare nemo prohibetur.* Iis autem, qui in testamento heredes scripti essent

omnibus aditum ad sepulcrum hereditarium patuisse res ipsa docet ac ne commemoratione quidem dignum erat, nisi luculento testimonio constaret, ne hoc quidem in iuris aliqua necessitate, sed in solo beneficio testatoris versatum esse, qui si cui ex heredibus sepulcro interdixisset, eam prohibitionem tanta severitate praetor tuebatur, ut in eum, qui contra fecisset, sepulcri violati actionem datum iri polliceretur teste Ulpiano dig. XLVII. 12, 3. §. 3: qui cum expresse adiciat: *licet enim cavere testatori, ne quis eo inferatur . . .; servari enim eius voluntatem oportere*, fieri vix potest, quin si multam testator constituisset (Orelli 4427.), de ea multa apud praetorem litigatum sit.

Reliquum est, ut de coniectura egregii cuiusdam et subtilis iudicii viri dicamus, qua universus hic locus de duplici sepulcrorum genere cum quaestione gravissima et difficillima de sacrorum privatorum vi et natura ita coniunctus est, ut etiamsi de ratione, quae inter utrumque genus intercedat, minus fortasse, quam illi visum est constat, permagnus tamen in ipsa comparatione ad cognoscendas pontificum constitutiones fructus sit. Quod igitur familiaria sepulcra ap. Gai. dig. XI. 7, 5. ab hereditariis distinguuntur admonuit id Leistium Die bonorum possessio 1, p. 15—17. sacrorum familiarium de quorum conservatione ad Mucii et Coruncanii sententias ap. Cic. de legg. 2. §. 47—52 disputatur. Cuius disputationis haec fere summa est, heredem praecipue, qui in bona defuncti successerit, sacra suscipere oportere, ac si suus heres non sit, extraneum adstringi. Atqui cum simili plane ratione Ulp. dig. XI. 7, 6. de sepulcris familiaribus tradat, non suis tantum, sed extraneis quoque heredibus ius fuisse in monumentum testatoris inferendi, nihil verisimilius esse colligit Leistius

p. 16., quam ius sepulcri ita cum sacris privatis coniunctum fuisse, ut separari non potuerit. Quod igitur inter doctos quaeri soleat, privata sacra quae quoque ritu fuerint, expediri facile posse, nullius enim sacrificii officium aptius cum sepulcri iure coniungi, quam parentalia, quae stato die, sollemni ritu quotannis ibi facienda sint. Haec cum sint acutissime excogitata una tamen re impediuntur, cuius ipse sententiae auctor non satis difficultatem consideravit: cum enim familiaria sacra exterum heredem non salva tantum religione, sed ex iussu etiam pontificum sequerentur, contrarium in sepulcris familiaribus observatum est; ea enim e nomine familiae exire nefas erat, interdictu haud dubie pontificum, ut apparet ex multis sepulcralibus, quae ipsorum arcae cedunt et ex titulo Orelli — Henzen 7331. Quod nisi statuas heredem interdum parentalia ad monumentum fecisse, in quo ipsi ne inferendi quidem ius esset, id quod fieri potuisse non prorsus negarim (Orell. 4374.), cum familiaribus certe sepulcris sacris familiaribus perpetua societas esse non potuit. In altero vero sepulcrorum genere, quod hereditarium vocatur, nihil credere vetat, ad ipsius monumenti curam et religionem sacrorum illorum privatorum officium pertinuisse; quae sacra si accurate dicendum est, nomine et origine familiaria, re et iure hereditaria fuerunt: sic enim vocanda sunt, quae iam vetustissimis temporibus — Ti. Coruncanium id instituisse maxime probabile est (Cic. de legg. 2, §. 52.) — exterum heredem sequi et abalienari a familia fas fuerit. Accedit quod postea, introductis bonorum possessionibus, item ut sacra sepulcra quoque bonorum possessores sequebantur, teste Ulpiano dig. XL. 5, 4. §. 21: *Is autem, cui bona addicta sunt, bonorum possessori adsimilari debet,*

*et secundum hoc et iura sepulcrorum poterit habere.* Unum esse, in quo dubitationis aliquid remaneat, fateri iubet veritas; tradit enim Ulpianus dig. XI. 7. 33 (cl. Guther de iur. Man. p. 435.): *si quis fuit heres, deinde hereditas ablata sit ei, quasi indigno, magis est, ut penes eum iura sepulcrorum remaneant.* Hanc personam non adducor ut sacra suscepisse credam.

## II. DE IURE MANIUM.

Sedet penitus in omnium hominum mentibus eorumque maxime, qui simplicitatem naturalem nondum deposuerunt, inenarrabili quadam vi ea opinio, esse quendam animarum, quas in hac vita caras habuerimus, etiam post mortem ad res humanas commeatum, delectari eas pia et constanti recordatione, vesci libenter frugibus aliisque munusculis, quae liberorum vel coniugum cura obtulerit, nam, ut ait venustissime Ovidius Fast. 2, 535., *parva petunt manes, pietas pro divite grata est munere; non avidos Styx habet ima deos.* Et Romanorum quidem ingeniis, dum quisque defunctorum sibi suorum quam venustissimam imaginem fingit, egregiae cuiusdam pulcritudinis et elegantiae vena non defuit: quando enim funus largo cum fletu multisque cum lacrimis elatum, gleba in os iniecta omniaque iusta ad sepulcrum facta essent, tum deum quendam illum, quem lugerent, fieri, Larem benignum atque benevolum, qui aut viarum publicarum aut lucorum rerumve naturalium curam aliquam gerat, putabant (Serv. Aen. 3, 168. 302. Arnob. 3, 41. Plut. q. R. c. 52.). De ritu autem funerum deque exequiarum caerimoniis et purgatione familiae funestae cum multi co-

piose scripserint, nunc non nisi de iure quaedam adicienda erunt, quo ne harum quidem rerum, quibus vitae mortisque quasi confinia continentur, ullam partem caruisse certissimum est. Et vetustissimarum iam legum latores manium exequiarumque quaedam iura descripsisse testimonio sunt Numae leges ap. Plin. 14, 14. §. 88: *vino rogum ne repergito,* et ap. Fest. p. 178[b]: *homo si fulmine occisus est, ei iusta nulla fieri oportet.* Quod Servius scribit prisci moris fuisse, ut domibus suis mortui sepelirentur (5, 64. 6, 152.), coniecturam tantum posuisse videtur, qua cur lares domestici familiaresque colerentur expediret: in urbe autem quin aliquando licuerit minime dubium est, cum per XII. tabularum legem licere desierit, qua cavebatur (Cic. de legg. 2. §. 58.): *hominem mortuum in urbe ne sepelito neve urito.* Et ex iis quidem, quae in iure pontificio de funerum religione constituuntur, satis apparet, solam humandi consuetudinem antiquissimis Latii populis notam fuisse, nec deest certa pontificum regula, quam significavit Varro de l. L. 5, 23: *donec in purgando humo est opertus (ut pontifices dicunt, quoad inhumatus sit) familia funesta manet,* cui simile illud apud Cic. de legg. 2, §. 57: *in eo, qui in navi necatus, deinde in mare proiectus esset, decrevit P. Mucius familiam puram, quod os supra terram non extaret.* Sicut autem in rebus Romanorum saepius accidit, ut mores et instituta maiorum temporum decursu ac conversis hominum studiis paulatim mutarentur, iuris autem et religionum, quarum tenaciores fere sunt hominum animi, species saltem aliqua servaretur: ita cum mortuos cremandi mos paulatim invaluisset, Manes tamen et di inferi placari nulla re, nisi humo corporibus

conditis posse viderentur, fictione aliqua utendum fuit, ut combusto cadavere unum ex omnibus reliquiis os, tanquam veteris moris exemplum, eligerent (calvam, ut opinatur Muellerus ad Varron. p. 299.), in quod glebas terrae aliquot inicere oportebat, ut ad iustae sepulturae imitationem parentatum esse videretur. Fuerunt, qui antequam corpus cremaretur, membrum aliquod abscidere mallent, velut digitum (os resectum vocat Cic. de legg. 2. §. 55.), cui iusta debitaque omnia facerent, ut narrat Paulus p. 148. Nec levia haec aut nobis videri debent, aut illis visa sunt, sine quibus defunctorum animis nec pax ulla nec certa sedes esse poterat, praesertim cum ius pontificium nihil unquam novicio et externae originis mori concesserit, primumque semper locum sepulturae tribuerit. Cuius rei gravissimum argumentum hoc est, quod post combustum etiam corpus familia non secus, quam antea, funesta manebat, donec ad glebam, certis cum caerimoniis in os iniectam, tandem purgabatur. Nam, ut ait Varro 5, 23: *ab eo, quom Romanus combustus est, si in sepulcrum eius abiecta gleba non est, aut si os exceptum est mortui ad familiam purgandam, donec in purgando humo est opertus . . . familia funesta manet.* Domum autem funestam tanquam labe aliqua pollutam et pontifici et si quis privatus sacrum deorum alicui facere vellet vel imprudenti introire religiosum erat (Serv. Aen. 3, 64. 4, 507). Et tum quoque, si corpus perempti non extaret, glebae tamen iactu parentari debuisse Servius docet 6, 366: *terrae autem iniectio secundum pontificalem ritum poterat fieri et circa cadavera et circa absentium corpora quibusdam sollemnibus sacris.* Huic igitur tantulo honori ne decemviri quidem quidquam derogarunt, quem-

admodum putavit Kirchmannus de funerib. l. 3. c. 7. minus ille recte de lege ap. Cic. de legg. 2. §. 60. indicans: *homini mortuo ne ossa legito, quo post funus faciat,* qua prudenter cavebatur, ne id, quod officium esset pietatis, in studium ambitionemve tantam verteret, ut bina omnino funera efferrentur. Bellicam igitur peregrinamque mortem, in quibus ambitionis invidia abesset, lex ipsa (Cic. l. c.) excipiebat, nec cuiquam, quominus pio veroque dolore dilectas sibi reliquias in sinum colligeret, et ad solatii spem in urnam conderet, minus unquam licitum fuit, quam fuit Neaerae, cui Tibullus 3, 2, 11. de exequiis suis venustissime praecipit. De Augusti ossilegio conf. Suet. Oct. 100. Quodsi inter iuris sacri peritos ea semper opinio firmissima fuit, iustum funus sine humatione fieri non posse, iam facilis erit ad diiudicandum res, de qua quaeri solere Cicero dicit de legg. 2, §. 55: *quo tempore incipiat sepulcrum esse et religione teneatur.* At vero nihil sane ad expectationem magis inopinatum accidere potuit, quam quod Ciceronem dixisse nuperus editor, R. Klotzius sibi persuasit de legg. 2. §. 57: *nam siti dicuntur ii, qui conditi sunt: nec tamen eorum ante sepulcrum est, quam iusta facta et corpus incensum est.* Nituntur haec coniectura librarii alicuius, nec ea valde probabili: meliores autem codices, in quibus Vossiani tres *corpus caesus est* habent, unde Bakius *corpus contectum est* fecit, probante Feldhuegelio. Hartungus denique Rel. der R. 1, p. 49. paulo audacius *humus ingesta est* coniecit. Sed simplicior longe medicina in promptu est, fuit enim, nisi fallimur, *et porcus caesus est* — porcus opinor, vel porca praesentanea, de qua Fest. p. 250$^{b}$: *praesent*[anea] *porca dicitur, ut ait*

*Veranius, quae familiae purgandae causa Cereri immolatur, quod pars quaedam eius sacrificii fit in conspectu mortui eius, cuius funus instituitur.* Nec multum discrepat Marius Victor. p. 28. G. (p. 2470. P.) *at illa* (porca) *quae et in re et in praesente mortuo, quem condituri sunt, immolatur, [quia ex ea capere non possint, ad quod iusta faciant] praesentanea vocatur:* ubi quae uncis inclusimus, aut valde corrupta aut loco alieno inserta sunt. Porcum autem a Cicerone dici, quae femina esset, ne quis miretur, Festi locum adscribam p. 286[b]: *in commentariis sacrorum pontificalium frequenter est hic ovis et haec agnus, haec porcus, quae non ut vitia, sed ut antiquam consuetudinem testantia debemus accipere.* cf. Cic. de legg. 2, §. 57. Praesentanea igitur porca si a Cicerone significata est, nihil sane in illa sepulcri definitione desideratur, quin vetustissima et ex ipso pontificio iure (id quod haud obscure indicat scriptor) petita videri possit, nam sacrificii illius mos ad prisca tempora spectat, quibus mortui integri adhuc humabantur. Postea vero cum mortuos suos Romani igni cremare, quam in terrae gremium mergere mallent, omnis illa funerum pompa exequiarumque sollemnitas in eum diem, quo mortuus ad rogum efferebatur, translata est, pro veteri autem sepulturae ritu non nisi imago relicta, os exceptum glebaeque iniciendae caerimonia, in qua tamen sola haec semper vis remansit, ut locum, qui profanus antea fuisset, omnibus, quibus sepulcra tenentur, religionibus imbueret, certamque quasi deorum Manium sedem ibi constitueret. Itaque recte scribi videtur, quod ex codicum variis erroribus effectum est ap. Cic. de legg. 2. §. 57: *iniecta gleba tumulus is, ubi humatus est, vo-*

*catur, ac tum denique multa religiosa iura complectitur.* Loca contra, ubi cremata tantum corpora essent, profana manebant et ustrinae vocabantur, ut dicit Paul. p. 32., nec tamen quicquam obstabat, quominus, si ossa quoque ibidem humata essent, religiosa fierent, cui sepulcrorum generi bustis nomen erat, de quibus testimonium denuntiandum est Servio, quamvis codicum culpa latitanti 11, 201: *bustum dicitur id, quo mortuos combusta e . . . ossa quae eius sibi iusta sunt sepulta,* quae Heinsio praeeunte sic emendavit Lion: *id* (fort. *in*) *quo mortuus combustus est, ossaque eius ibi iuxta s. s.*

Cum igitur constet familiam usque ad sepulturam rite peractam funestam mansisse, iam intererit scire, quot tandem dies inter funus elatum et ossa humata medii positi fuerint, cum qua quaestione illa de feriis denicalibus arctissime cohaeret, quibus, ut ait Paulus p. 70. *hominis mortui causa familia purgabatur.* Et primum quidem non potuerunt non in gravissimos errores turbasque incidere, qui cum feriis denicalibus confuderunt sacrum novemdiale, quod, ut ait Porphyrius ad Horat. Epod. 17, 47., *mortuo fit nona die, quam* (*qua* vg. em. Marquardt p. 256.) *sepultus est,* qua in re mirifice decepti sunt viri acutissimi Hartungus 1, p. 47. et Prellerus p. 482., cum iam Kirchmannus de funerib. l. 4. c. 1. recte utrumque distinxerit. Priusquam autem certi aliquid ipsi definiamus, cum universa haec quaestio veterum testium et dissensione et erroribus admodum intricata et obscurata sit, inprimis curandum est, ut eos qui plurimum fidei habent duces sequamur. M. igitur Varro loco iam saepius laudato (5, 23.) cum dicat: *donec in purgando humo est opertus,* quid purgari significet extra omnem dubitationem ponit, cui si

Paulum, idest Festum, adiungamus, qui p. 70. denicales ferias familiae purgandae causa institutas dicit, jam tanquam certum lucrum hoc auferamus, feriarum illarum die os ad sepulturam reservatum sollemni caerimonia glebaeque iactu humari solitum esse. Ac ne silicernium quidem ab hac humatione a Marquardtio p. 257. seiungi debuisse et Paulus docet p. 295: *silicernium genus farciminis, quo fletu familia purgabatur*, et si recte explicetur Varro ap. Non. p. 48, 10: *funus exequiati laute ad sepulcrum antiquo more silicernium confecimus*, quibus quid aliud significat, quam aliquot amicos mortuo cuidam non combusto corpore, sed secundum vetustum morem integro humato, post funus absolutum silicernio statim parentasse. Iam igitur actum erit de Servii 5, 64. deque scholiastae Cruquiani ad Hor. Epod. 17, 47. testimonio, quod quibusdam propter speciosam dierum computationem mirifice placuit, quasi nonus semper dies legitimus humationi fuerit: ut enim de luctu tum finito concedendum (cf. Justin. nov. 115. c. 5. §. 1.), ita de sepultura negandum erit; nam cum feriis denicalibus ii tantum dies apti essent, qui nulla alia religione tenerentur, ne poterat quidem certus dierum numerus lege praefiniri, sed pontificum arbitratu et auctoritate talem eligi oportebat, quo rite celebrari possent, quae res quantam peritiam artisque usum desideraverit, Cicero significat de legg. 2, §. 55: *eas in eos dies conferre ius, ut neque ipsius, neque publicae feriae sint, totaque huius iuris compositio pontificalis magnam religionem caerimoniamque declarat.* cf. Gell. 16, 4, 4. Habent paulo plus momenti, quam grammaticorum opinationes, Horatii ipsius versiculi, in quibus illustrandis illi versantur, Epod. 17, 47: *Neque in sepulcris pauperum*

*prudens anus Novemdiales dissipare pulveres,* unde apparet cineres mox post corpus combustum in aliquo loco reponi servarique moris fuisse: eiusmodi vero locum magis ad volgaris sermonis incuriam, quam ad normas definitionesque iuris pontificii sepulcrum dici potuisse crediderim. Sacrum autem novemdiale, cum post sepulturam ad tumulum celebratum sit (Apulei. met. 9. p. 213. Bip.), iure suo Marquardtius ap. Porphyrium l. c. *quam* pro *qua* scribi iussit.

Cum omnium hominum pectora, nisi qui prorsus sint efferati et ad hunc, quo rerum natura omnis perfunditur, caritatis caelestem spiritum quasi hebetes, pietatis quaedam imago delectet, qua ad officia, animis defunctorum debita, non modo non inviti, sed cum desiderio aliquo ducantur, haud sane verendum fuit, ne apud eam gentem, quae pietate semper eximia fuit, manium religiones neglegentia vel prava voluntate omitterentur, imo legum latoribus nimius saepe, qui nulla re sibi satisfaceret, lugentium impetus et doloris quasi procella coercendi erant (Cic. de legg. 2. c. 23.). In tanta igitur huius iuris sanctitate si quis, ad quem funus pertineret, iusta non fecisset, priscis certe temporibus supremo supplicio puniebatur: pertinebat autem omnis exequiarum cura ad heredem, qui vetusto iuris sacri vocabulo 'everriator' (Paul. p. 77.) appellabatur, quia domus funesta, ex qua ad sepulturam mortuus efferendus esset, exverris, certo scoparum genere, adhibitis purganda erat. En ipsam legem, ex iure opinor Papiriano sumptam, impietatis vindicem Paul. l. c.: *Everriator . . . iusta facere defuncto debet, qui si non fecerit, seu quid in ea re turbaverit, suo capite luat.* Postea vero omissa veteri severitate institutum est, ut hostia pia-

culari heres purgaretur. Porcam enim praecidaneam piaculi vim habuisse testes consentiunt: Varro de vit. p. R. ap. Non. p. 163, 20: *quod humatus non sit, heredi porca praecidanea suscipienda Telluri et Cereri, aliter familia pura non est.* idem significat Paul. p. 223: *porca (praecidanea), quae Cereri mactabatur ab eo qui mortuo iusta non fecisset, idest glebam non obiecisset, quia mos erat eis id facere priusquam novas fruges gustarent*, et Marius Victorinus p. 28. G. (p. 2470. P.) *qui iusta defuncto non fecerunt aut in faciendo peccarunt, his porca contrahitur, quam omnibus annis immolari oporteat, antequam novam quam dapem mereat de suo capiant (quasi dapem mereant de segete capere.* P.). Mirum autem in modum haec res documento est, quam sincere modesteque iis temporibus res divinae administratae sint: cum enim iis tantum, qui defunctorum officia aut minus recte curassent aut prorsus neglexissent, hostia immolanda esset, nemo tamen homo Romanus inventus est, qui pietatis officia ita, quod dicunt, ad perpendiculum perfecisse sibi videretur, quin multa, quae fieri debuerint, omiserit, quo factum est, ut omnes porcam praecidaneam immolandam susciperent idque sacrum inter popularia semper fuerit (Fest. p. 253ᵃ, 16. Cato r. r. 134.). Nec fere eorum, quae de Romanorum moribus omnique animorum cultu traduntur, quicquam pulcrius venustiusque est, quam illa hominum rusticorum simpliciumque opinio, qua deam putabant sanctissimam potentissimamque, quae omnibus animalibus vitam ac victum praestet, frugumque quotannis amplissimam copiam procreet, pro tantis suis beneficiis nil aliud desiderare, quam ut defunctorum animis parvum

quasi vectigal penderent, victimaque caesa pacem iis placidamque quietem praestarent.

## III. DE SACRIFICIIS.

1. Veterum Romanorum qui recte iusteque ingenium et mores aestimare velit, ei non tam quaerendum erit, quo illi conatu divini numinis infinitam aeternamque vim et copiam animo comprehendere suoque desiderio et cognitioni adaptare temptaverint — in hoc enim quod umbras errorum et superstitionum pro luce veritatis amplexi sunt, vitium est naturae generis humani —, quam qua sanctitate et religione deos, quos esse sibi persuaserant, colendos sibi putaverint. Et hoc quidem nomine Romanos reliquis antiquitatis populis aliquanto praestitisse, argumento est primum et supellectilis sacrae et sacrificiorum simplicitas, rituumque et caerimoniarum castitas ac verecundia, Dionysii laudibus (2, 19. 23.) dignissima, quibus nihil neque crudelitatis neque obscoenitatis admixtum fuit; deinde vero egregia quaedam in iis sacrorum faciendorum legibus, quibus deorum sibi numen maiores placassent, sancte observandis diligentia, constantia, sollicitudo. In summa autem deorum multitudine ac diversitate ut unumquemque eo cultus et rituum genere, quo maxime delectari videretur, colerent, subtilis illa et multiplex disciplina instituta est, apparatu perfacilis, ad perdiscendum difficillima, ut ait Cic. de rep. 2, §. 27., qua quibus cuique deo hostiis et libamentis, quibus caerimoniis, quibus diebus, ad quae templa sacra fierent, praescribebatur. Universae autem eius disciplinae, quam Numam Numae Marcio pontifici exscriptam exsignatamque attribuisse (Liv. 1, 20.) fama erat,

fons quasi et fundamentum pontificii libri fuerunt, quorum hanc recte Schweglerus Roem. Gesch. 1. p. 32. imaginem animo informasse videtur, omnem illum iuris divini quasi thesaurum per materiarum genera digestum fuisse, ita ut seorsum de locis, de temporibus, de ritibus sacrificiorum sacrisque, deque reliquis eius loci partibus ordine expositum fuerit. Quam coniecturam duae res, nisi fallimur egregie confirmant; primum enim quod ap. Gellium semel 10, 15, 1., nam de loco 13, 23, 1. ambiguum iudicium, libri laudantur, qui de sacerdotibus publicis compositi sint, saepius autem vel commentarii sacrorum (Fest. p. 165[a]. 286[b]. 360[b].), vel libri (Serv. Ecl. 7, 31. Aen. 3, 287. 9, 408.), iis nominibus dubium non est quin universi iuris divini, cuius absolutum tanquam corpus libris pontificum continebatur, partes quaedam certis argumenti finibus circumscriptae significentur. Idem apparet in indigitamenta cadere, quae in librorum pontificalium numero Servius Ge. 1, 21. (cl. Ambrosch die Religionsbücher d. Röm. p. 5.) ponit, re autem cum iisdem coniunctissima fuisse argumenti ratio ostendit, siquidem ut e locis apparet ab Amboschio collectis (p. 35.), promptuarii loco erant, unde sollemnes comprecationum formulas, quibus rite deos invocari oporteret, et in quibus verbo peccare piaculum erat, sacrificaturi facile petere possent. Partes autem illae quot fuerint, quamque late patuerint cum omnia vestigia incerta et vetustate evanida sint, quis vel coniectura significare ausit, quamquam in tam scrupulosa eius disciplinae ratione unum iure suspicere, ingentem et definitionum et constitutionum et praeceptorum numerum atque molem fuisse, quibus circumspecta subtilitate discrimina iuris, summa sanctitate et auctoritate rerum praetermittendarum

et observandarum religiones simplici illo et incompto dicendi genere expositae essent, quod felicissime Cicero de legg. 2, §. 19—22. imitatus est. De praecipiendi autem et exponendi more, quem in istis libris pontifices fere secuti sint, coniecturam capere licet primum ex amplioribus ritualis disciplinae fragmentis apud Caton. de r. r. 83. 132. 134. 139. 141., deinde ex frustis nonnullis, in quibus simplici plerumque iussu praecepta de caerimoniis et officiis sacrificiorum absolvuntur, cuius generis est apud Festum p. 165[a]: *Pontifex minor ex stramentis napuras nectito.* quocum coniungendum p. 169[a]: *napuras nectito cum dixit pontifex, funiculi ex stramentis fiunt.* Opis Consiviae sacerdoti hanc legem scriptam fuisse Varro 6, 21. tradit: *is cum eat, suffibulum haut habeat.* cf. Fest. p. 348[a]. Itaque quod ap. Serv. 8, 106. praecipitur: *da, quod debes, de manu dextra aris,* formulam sacrorum librorum agnoverim, eademque de causa non Ser. Fabii Pictoris verba, sed fragmenti ex libris sacrorum, de quo dixerat Fabius, extare crediderim ap. Non. p. 544, 24: *Fabius Pictor lib. XVI.* (iuris pontificii, cf. Macrob. 3, 2, 11.): *aquam manibus pedibusque dato, polubrum sinistra manu teneto, dextera vasum cum aqua,* et ap. Macrob. 3, 2, 3: *ex primo libro Pictoris... Exta porriciunto, dis danto in altaria aramve focumve, eove, quo exta dari debebunt.* Alterum autem, quo coniecturam Schwegleri de iuris pontificii divisione confirmari significavimus, ea re nititur, quod qui de eo argumento scripserunt, commentarios suos in complura plerumque corpora partiti esse videntur, quibus a rebus, quae ibi explicarentur, nomina seorsum imponerent. Noti sunt Atei Capitonis 'de iure pontificio' libri, e quibus

quod nullus ultra librum VII. (ap. Fest. p. 154[b].) allegatur minime obstat, quin plures longe fuerint, cum de Antistii Labeonis, qui in eadem materia versatus est, libro LXVIII. (nam Antistii esse Merkel proll. Fast. p. LXXII. docet) testis sit Macrob. 3, 10, 4. Verum quotquot fuerunt, in eo numero certissimum est libros fuisse, quos 'de iure sacrificiorum' Capitonem scripsisse idem Macrob. l. c. significat, quae Dirkseni quoque opinio fuit Bruchstücke Roem. Jur. p. 88. Similiter Veranius, qui in 'quaestionibus pontificalibus' divinum ius etsi non omne, maximam tamen partem excusserat, a rerum et argumenti genere singulis libris inscriptiones praeposuit, e quibus unum a Macrobio 3, 6, 13. allegari Merkelius p. XCVIII. intellexit, sic scribi iubens: *Veranius pontificalium eo libro, quem fecit de supplicationibus.* Titium quoque, cuius memoriam ab iniustis Merkelii dubitationibus (p. LXXVI.) strenue vindicavit M. Hertzius de Cinc. p. 38. sq., de iure pontificio scripsisse fragmenta apud Fest. p. 205[a]. 289[b]. Macrob. 3, 2, 11. ostendunt, cuius operis pars haud dubie liber 'de feriis' fuit, quo utitur Macrob. 1, 16, 28. Fuerunt, qui partem tantum provinciam sibi deligerent, in eaque subsisterent, ut Modestinus (Macrob. 1, 4, 7. 16, 28.), qui 'de feriis', Tertius (ib. 3, 11, 5.), qui 'de ritu sacrorum' scripsit. Quodsi constat libros, quibus ius divinum continebatur, secundum ipsius disciplinae partes et rerum capita dispositos fuisse, iam certius licebit definire, quae illis libris cum iure Papiriano ratio intercesserit. Et rerum quidem, in quibus utriusque corporis praecepta versabantur, magnam congruentiam fuisse fragmenta et scriptorum testimonia affirmant; cultus certe deorum et caerimoniarum disciplina in Papiriana quoque sylloga prae-

cipuum aliquem locum obtinuit. Nam etiamsi nimium Servius significat 12, 836., cum simpliciter de ritu sacrorum eam publicatam dicit, permultis speciminibus late id argumentum ibi patuisse apparet, qualia sunt, quae de institutione sacrorum Martis Festus p. 372[a]. affert (cf. Preller p. 321.), de supplicandi ritu Plut. Nu. 14., de pollucendo Plin. 18, 2. §. 7. 32, 10. §. 20., de libationibus id. 14, 14. §. 88., de iure mensarum sacrarum Macrob. 3, 11, 6. Verum reliquarum quoque, quibus regium nomen praefixum est, constitutionum nulla omnino eiusmodi est, quin commode inter pontificum praecepta scripta esse potuerit. De iureiurando (Grammat. ap. Serv. ed. Lion vol. 2. p. 372.), de sacrosanctarum legum sanctione (Rein Roem. Crim. Recht p. 30.) quis dubitet? de iure nuptiarum quae Romulus et Numa sanxisse feruntur (Plut. Ro. 22. Num. 12. Paulus p. 222.) fieri non potest, quin in pontificum libris extiterint; denique si iuris civilis quoque partem Papiriana sylloga complexa est, unde totum paullo liberalius Pomponius dig. I. 2, 2. §. 2. 'ius civile Papirianum' appellat, ne hoc quidem plane a iure pontificio alienum est, cum legis actiones pontificum auctoritate constitutas esse constet (Leist Roem. Rechtssystem p. 15. cf. Liv. 9, 46.). Legis de spoliis opimis formulam cum in libris pontificum, tum in legibus Numae, in his tamen auctiorem paululum extitisse Varro ap. Fest. p. 189[a]. docet. In summa igitur rerum et argumenti similitudine diversissima in utroque ordinis et dispositionis ratio fuit, qua res in pontificum libris secundum materiae genera digestae essent, in iure Papiriano secundum regum a quibus sanctae essent nomina (Dionys. 3, 36.). Quamquam enim Numae nomen longe praevaluisse, et ceterorum me-

moriae quodammodo obstitisse fragmentorum numeri ostendunt, satis tamen vestigiorum remanet, unde nullum suo honore defraudatum cognoscas. Nam Servii Tullii quinquaginta leges de obligationibus et delictis (*τούς τε συναλλακτικοὺς καὶ τοὺς περὶ τῶν ἀδικημάτων*) sustulisse quidem Tarquinium Superbum Dionysius dicit (4, 13. 43.), unam tamen sub eius nomine affert Fest. p. 230[b]: *in Servi Tulli haec est: si parentem puer verberit, ast olle plorassit, puer divis parentum sacer esto.* Fuisse, quae a Tullo et Anco sanctae dicerentur Tacitus ann. 3, 26. 12, 8. significat. Romuli haud dubie plurimae gravissimaeque leges ferebantur, quas oculis usurparunt Dionys. 2, 15. et Plut. Rom. 22. unam a Romulo in consortio regni cum Tatio latam Festus commemorat p. 230[b]. Verum haec ipsa distribuendi subtilitas Papirianam syllogam arguit a temporibus satis recentibus originem trahere. Et commodissime quidem de ea aetate cogitaveris, qua Sex. Aelius Catus XII. tabularum eam recensionem curavit, qua veteres grammatici et icti, qui nunc leguntur, usi sunt (Pompon. dig. I. 2, 2. §. 38. Mommsen Dialecte p. 32.), aut paulo recentiori, siquidem libri insigni fraude tanquam a Numa rege compositi, qui P. Cornelio M. Baebio coss. (573. a. u.) a Cn. Terentio sub Ianiculo reperti sunt (Liv. 40, 29. Plin. 13, 27. §. 84.), documento sunt nullam tum legum a regibus latarum collectionem extitisse (Puchta Inst. 1, §. 37[m].). Quo fit, ut quod dubitanter posuit Schweglerus p. 27. possit cum aliqua confidentia affirmari, ius Papirianum fere totum a docto peritoque aliquo homine ex libris pontificum — nam de commentariis minus recte Schweglerus cogitat — collectum esse, qui ab uberrimo illo rerum cognitu dignissimarum fonte tanquam rivulos

deducendo eorum usui consuleret, qui eas res mallent cum aliqua voluptate delibare, quam cum labore exhaurire. Idque eum non fraudulento, sed utilissimo consilio fecisse argumento est, quod docto commentario opus illud illustravit vir rerum divinarum peritissimus Granius Flaccus (dig. L. 16, 144. Macrob. 3, 11, 5. Grammaticus ap. Serv. ed. Lion. vol. 2. p. 372.).

2. Haec fere sunt, quae praemittenda videbantur, quo clarius sacrificiorum disciplina, cuius nunc imaginem adumbrare conabimur, quo praecipue fundamento nitatur, quemque locum inter reliquas iuris pontificii partes obtinuerit, intelligi possit. Cum autem omnium sacrorum hac re maxime sanctitas contineatur, ut summa religione, ritibusque et caerimoniis, quibus praescriptum sit, peragantur, sequitur, ut si quid praetermissum vel aliter, atque oportebat, factum esset, piaculum contractum videretur (Arnob. 7, 21.). Et primum quidem cavendum erat, ne in eligenda hostia peccaretur, nam in his quam subtile discrimen fuerit, suspicari licet ex paucis et exiguis uberrimae doctrinae frustis apud Macrob. 3, 10, 4., ubi ab Ateio Capitone inauspicati sacrificii expiationem docemur, de iure sacrificiorum l. I: *itaque Iovi tauro verre ariete immolari non licet.* et paulo post §. 7: *si quis forte Iovi tauro fecerit, piaculum dato.* In caerimoniis quoque tantum abfuit ut quicquam leve videretur, ut si quid observatum non fuisset, piaculo opus esset (Serv. Aen. 4, 646.), quo privatum quidem hominem facile purgari potuisse credibile est: turpior longe eadem culpa in sacerdote videbatur, unde quia exta Iovi perperam dederit C. Claudium flaminem dialem sacerdotio abiisse Livius 26, 23. narrat. Denique plerorumque sacrorum ratio ferebat, ut certo die

facienda essent, quamquam non omnia hac quidem re pari religione erant; duo certe genera Servius distinguit 8, 173: *Anniversaria sacrificia i. e. sollemnia ideo non differuntur, quia nec iterari possunt..., nam kalendaria, si qua fuerint ratione dilata, possunt repeti, nec piaculum eorum intermissione committitur.* Hic quae de sacris anniversariis traduntur vereor ne plane refutari videantur unius sanctissimi gravissimique sacrificii exemplo, quod post diem sollemnem publica auctoritate celebratum est. Cum enim paucis diebus post pugnam Cannensem (IV. non. Sextil.) sacrum Cereris anniversarium fieri oporteret, nulla tamen, quae sine luctu esset, matrona inventa, eius rei cura plane omissa esset, senatusconsultum factum est, ut luctu intra tricesimum diem finito postea sollemne deae sacrificium ea, qua par sit, religione peragеretur (Liv. 22, 56. Plut. Fab. 18. Paulus Festi p. 97.). Itaque, ut ait Valer. Max. 1, 1, 15., *matres ac filiae coniugesque et sorores nuper interfectorum abstersis lacrimis depositisque doloris insignibus candidam induere vestem et aris dare thura coactae sunt.* Haec ut aliquo modo cum Servii ratione conciliari possint, quam non vana hariolatione, sed docta veteris alicuius magistri disputatione niti crediderim, Servium statuendum est non satis caute anniversaria sacra appellare, quae stata vocanda fuerint; nam interesse aliquid hoc ipsum docet, quod castus Cereris in anniversariis sacris fuit, quem in statum diem non incidisse ex kalendariis appareat, quae nullam eius festi notam habent. De privatorum hominum statis sacrificiis Cincius ap. Gell. 16, 4, 4. testis est, qui militi quominus ad exercitum stata die adesset, excusationem afferre scribit *auspicium, quod sine piaculo*

*praeterire non liceat, sacrificiumve anniversarium, quod recte fieri non possit, nisi ipsus eo die ibi sit.* Kalendaria vero sacrificia, quae ut ait Servius l. c. sine piaculo differri liceat, qualia sint, ex nomine minus elucet, verum de iis, quae quotannis concipiebantur, quas 'annales' ferias Varro l. L. 6, 25. vocat, maxime cogitaverim; haec enim cum eo die, in quem conceptae essent, nullo religionis vinculo coniuncta fuisse maxime docet, quod si quid in caerimoniis vitii accidisset, instauratione opus erat, quam notum est frequentissime in feriis Latinis a pontificibus decretam esse, Liv. 32, 1. 37, 3. 41, 16. De differendi more apud solum Servium fides est.

3. Omnis autem, quo sacrificia fere celebrabantur apparatus, rituum, religionis quasi caput ara erat, in qua divini numinis vis et voluntas ad accipienda, quae sibi offerrentur, dona et libamenta tanquam praesens inesse videbatur. Itaque sine ara, vel, qui vim arae habet, foco neque publice neque privatim rem divinam recte fieri potuisse Varro significat rer. div. (lib. V. Merkel p. CXVIII.) ap. Serv. Aen. 3, 134: *focum autem dictum a fovi ... nec licere vel publica vel privata sacra sine foco fieri.* Tria, quibus totidem deorum quasi ordines respondeant, ararum genera volgo constitui solent, speciosa magis quam circumspecta subtilitate, ut ap. Serv. l. c.: *quidam aras superorum deorum volunt esse, medioximorum i. e. marinorum focos, inferorum vero mundos*, quam definitionem certa et legitima ratione minime niti facile perspicitur ex sylloga, qua cuiuscunque ordinis deorum aras, quarum memoria aliqua extat, Pitiscus in lexic. antiq. Rom. s. v. enumeravit. Quod vero similis definitionis auctorem idem Servius Ecl. 5, 66. Varronem affert: *Varro*

*dis superis altaria, terrestribus aras, inferis focos dicari affirmat,* nimis generaliter et incaute posuit, quorum vir peritissimus haud dubie vim arctioribus subtilioribusque finibus circumscripserat, de quibus etiamnunc, nisi fallimur, coniecturam capere licet. Et focos quidem quod dis inferis tribuit, de Laribus potissimum cogitavit, quorum in sacris arae loco focus est, Serv. 11, 211. 3. 178. De reliquis paulo difficilior quaestio est, et quae satis recte expediri nequeat, nisi antea quid inter altaria et aras intersit, explicatum fuerit. Qua in re primum de eorum sententia videndum est, qui ut Gutherius de iur. pont. p. 126. in altaribus puro igni supplicatum esse volunt, libamenta et reliqua, quae cremari oporteret, in aras reddita esse; quod enim Paulus p. 5. dicat: *altaria sunt, in quibus igni adoletur,* eius quasi supplementum Servium Aen. 1, 704. de aris suppeditare: *nam in aris non adolentur aliqua, sed cremantur et consumuntur;* de adolendi autem significatione definitionis instar Taciti verba esse aram Veneris Paphiae describentis Hist. 2, 3: *precibus et igne puro altaria adolentur.* Quam explicationem ita absolvit Maternus de Cilano Röm. Alterth. 2, p. 359. (cf. Hartung 1, p. 147.), ut de loco quoque coniecturam adderet: altaria enim, in quibus thuris tantum aliquid vel suffimentorum adoleretur, sine fumi molestia in ipsis aedibus, aras sub dio ante aedes collocatas fuisse, medium vero inter utrumque spatium sollemni propemodum formula 'inter aras et altaria' (Plin. Pan. 1.) a scriptoribus vocari. Quae etsi subtiliter specioseque excogitata sunt, fundamento tamen fallaci nituntur, nam adoleri minime purus tantum ignis, sed exta quoque dicuntur Ovid. Fast. 3, 803. cl. 1, 276. deinde vero non thus tantum, sed

viscera et libamenta in altaribus cremata esse multi loci ostendunt (Plin. 15, 40. §. 135. Veranius ap. Macrob. 3, 2, 3. Sueton. Cal. 13. Solin. 9, 11.), luculentissime tamen Arnob. 7, 15: *altariaque haec pulcra infelicissimi animalium generis ustrinae, rogi sunt et busticeta.* Itaque alia eius discriminis ratio quaerenda est: qua in re optime accidit, quod cum inter utrumque quid intersit deorum, quorum ibi sacra fiant, diversitate Varro significaverit, idem re expressit Vitruvius, nisi quod is duplex tantum ararum genus distinguit, altarium nomen ignorat 4, 9: *arae . . . semper inferiores sint collocatae, quam simulacra ... altitudines autem earum sic sunt explicandae, ut Iovi omnibusque caelestibus quam excelsissimae constituantur, Vestae matrique Terrae (terrae marique* vg. em. Schneid.) *humiles collocentur.* In altitudine Paulus quoque discrimen versari significat p. 29: *altaria ab altitudine dicta sunt, quod antiqui dis superis in aedificiis a terra exaltatis sacra faciebant, dis terrestribus in terra, dis infernalibus in effosa terra.* cf. Lactant. ad Stat. Th. 4, 460. Secundum haec simpliciter poteramus altaria dicere ararum genus fuisse in altitudinem magis extructum, nisi subtiliorem paululum definitionem elicere liceret ex locis quibusdam, quorum primum vim atque usum recte ostendit Pitiscus lex. ant. rom. s. v. altaria. Proprio enim et legitimo nomine usi videntur, qui altaria vocarunt, quae in aras, quo altiores fierent, imponi solebant, ut Quint. decl. 12, 26: *quod aris altaria non imposuimus.* Solin. 9, 11: *ara est in cacumine Iovi dicata, cuius altaribus, si qua de extis inferuntur nec difflantur ... nec diluuntur.* Lucan. 3, 404: *structae diris altaribus arae.* Prudent.

Cath. 7, 203. Perist. 10, 49. cf. Grotefend in praef. lex. Freund. p. XLVII. Eandem vim habet quod inter donaria nominatur ap. Orell. 2519: *altarium cum columella.* Altarium igitur cum aris tanta in sacris coniunctio est, ut etiamsi sola nominentur, de aris simul cogitari semper statuendum sit. Aras enim certissimum est omnium deorum sacris adhiberi fas fuisse, Serv. Aen. 2, 515: *superorum et arae sunt et altaria, inferorum tantum arae.*

Ararum duo genera distinguenda sunt iure et religione plane diversa, alterum quod sollemni ritu stabileque in omne tempus loco sacro dis dedicatum erat, alterum quod ad usum subitarium vili fere materia extrui solebat. Et has quidem sollemni vocabulo temporales vocatas esse crediderim, quamquam in tabulis fratrum Arvalium eo nomine ararum genus significari video, quod stabile quidem et loco semper eodem constitutum erat, firmiore tamen et solidiore materia fieri religio vetabat. Nam cum ipsius deae Diae marmorea haud dubie ara esset (Marini Atti p. 683.), in reliquorum deorum aris, quorum simul in luco deae a fratribus numen colebatur, priscam sacrorum castitatem servatam videmus; hae enim sunt, quae tab. 43, 5. (cl. v. 7.) *arae temporales sacr*[arii] *deae Diae* appellantur, quae refectae dicuntur ib. 16. De materia verisimillimum est quod Marinius suspicatur cespiticias eas fuisse: hoc enim genus agrestes deos maxime decebat. Multorum enim sacrorum, rusticorum praecipue, ipsa vis et ratio minime ambitiosa piam sanctamque apparatus simplicitatem desiderabat: in his non opus erat nisi ara, parvo negotio de vivo plerumque cespite et sine ullis caerimoniis composita: hoc enim insigni quadam et admirabili prudentia Romani intellexerunt, tantum vel privatae

religioni tribuendum esse, ut in omnibus aris, etiam quae consecratae non essent, sacra tamen recte fieri liceret. Pertinet ad hoc genus Termini sacrificium, cuius modestissimum apparatum pulcre Ovidius describit Fast. 2, 645: *Ara fit; huc ignem curto fert rustica testu sumptum de tepidis ipsa colona focis.* Similiter Horatius aram simplicissima arte extrui iubet carm. 1, 19, 13: Hic vivum mihi cespitem hic Verbenas, pueri, ponite turaque et 3, 8, 3. Ad foedus feriendum ap. Verg. 12, 119. exercitos constituunt in medio focos *et dis communibus aras gramineas*, ubi Servius Romani moris fuisse dicit *cespitem arae superimponere et ita sacrificare.* Is igitur non compositam, sed ornatam tantum vel contectam cespite aram novit eademque ratione Silius utrumque distinguit 16, 263: *Et simul extructis cespes surrexerat aris.* Universi autem eius moris tanta in vetustissimis sacris religio fuisse videtur, ut cum inclinatis paulatim hominum animis pro simplice cespite pretiosiorem et elegantiorem materiam substitui placuisset, hanc ipsam, ne sacrorum ritus pollueruntur, formam saltem cespitis imitari oporteret, solent enim ut ait Serv. Aen. 2, 116. (cl. Fest. p. 238[b]), *in sacris simulata pro veris accipi.* Hinc explicandum quod in actis fratrum Arvalium tab. 41[a], 19. foculus deae Diae commemoratur argenteo cespite ornatus, eundemque recte sine dubio Marinius p. 584. significari statuit ib. 25. ubi simpliciter cespes vocatur: *ante aedem in cespite promagister et flamen sacrum fecerunt* plane ut est ap. Prudentium Perist. 10, 187: *quas ad aras praecipis Vervece caeso fumet ut cespes meus.* Ex his quamquam sine aris sacra fieri non potuisse constat, haudquaquam sequitur omnes aras in cultum deorum institutas

esse: sunt enim, quae latius eius vocabuli significationem patuisse ostendant. Rogum ex lignis artificiosius extructum aram vocat Verg. 6, 177: *aramque sepulcri congerere arboribus caeloque educere certant.* Ovid. Met. 8, 480: *ante sepulcrales infelix astitit aras.* cf. Hartung 1, p. 146. Defunctorum quoque animis divinos propemodum honores deberi Romani, qua erant pietate, sibi persuaserant, unde morem natum Servius dicit (5, 48. 6, 177.), ut arae, in quibus annua sacra fierent, prope tumulos sepulcrorum constituerentur, de quo genere accurata extat, disputatio ap. Berthaldum 'de ara' in Graevii Thesaur. VI. p. 364. Pertinent huc ap. Vergil. Aen. 3, 63: *stant Manibus arae Caeruleis moestae vittis atraque cupresso* et 5, 48: *ossa condidimus terra moestasque sacravimus aras.* Eidem deo arae interdum plures constituebantur: quamquam enim quod Varro ap. Macrob. 1, 9, 16. dicit, Iano duodecim aras propter totidem menses dedicatas esse (cf. Io. Lydus p. 51, 2. ed. Bekk.), propter eius dei naturam singulare videri possit, latius tamen eum morem patuisse Verg. significat Aen. 3, 305: *geminas sacraverat aras.* Ecl. 5, 66: *En quattuor aras, Ecce duas tibi, Dăphni, duas, altaria Phoebo*, ubi Servius quot arae unicuique deo ponendae sint, ex arcana numerorum vi repetit, de qua in libris ritualibus expositum sit: *cum constet, supernos deos impari gaudere numero, infernos vero pari* (cf. Ecl. 8, 75.), *quod etiam pontificales indicant libri.* Contrariam tamen rationem Statius secutus est, apud quem Theb. 4, 456. ad tres aras Hecatae, 8, 298. ad geminas aras Telluri sacrificatur. In iis sacrificiis, quae maiorem hostiarum numerum desiderarent, ararum quoque numerum verisimile est pro ratione auctum

esse (Saubert de sacrificiis c. 15. p. 350. Jena 1659.), quamquam hecatombarum immolationes dubium non est, quin ab antiquorum Romanorum moribus alienae et Graecorum demum imitatione assumptae fuerint. Vetustius certe eius rei exemplum non extat, quam quod Plutarchus refert Mar. 26: *ἐνταῦθα νιψάμενος ὁ Μάριος τὰς χεῖρας καὶ πρὸς τὸν οὐρανὸν ἀνασχὼν εὔξατο τοῖς θεοῖς κατὰ ἑκατόμβης· εὔξατο δὲ καὶ ὁ Κάτλος ὁμοίως.* Imperatoribus contra, praecipue Iuliano (Amm. Marcell. 22, 12, 6.), id sacrificiorum genus sollemne fuisse notum est: rituum etiam, quibus uti consueverint, imaginem Capitolinus adumbravit Maxim. et Balb. 11: *Hecatombe tale sacrificium est: centum arae uno in loco cespititiae extruuntur, et ad eas centum sues, centum oves mactantur, iam si imperatorium sacrificium sit, centum leones, centum aquilae, et cetera huiusmodi animalia centena feriuntur* (Saubert de sacrif. c. 19. p. 442.). In tanta igitur ararum auctoritate sanctitate usu fieri non potuit, quin a simplicissimis initiis, coniunctis cum religione artis et ornamentorum studiis, summa paulatim formarum varietas nasceretur, quarum nunc quoque post tantam iacturam pulcritudinem et elegantiam non poterit non admirari, qui artis monumenta eo consilio paulo diligentius perlustraverit. Antiquissima autem et maxime volgaris ararum forma quadrangula haud dubie fuit, nam ut de triangulis taceamus, rotundas a recentioribus temporibus originem trahere cum paucitas exemplorum documento est, tum quod vilissima quaeque materiarum genera huic formae minus apta sunt. Decem sunt in columnae Traianae anaglyphis sacrificiorum simulacra: Bartoli admiranda tabb. 7. 37. 60. 63. 64. 67. 68. 74. 77. 78. in

his arae quae extant quadrata forma sunt omnes. Lapides Capitolini, in quibus vestigia veteris Romae scalpro delineata sunt, quorum effigiem Bellorius edidit in Graevii Thes. IV., in circo Flaminio (tab. 2.) ante aedes Iovis Statoris et Iunonis duarum ararum speciem quadratam exhibent, itemque tab. 13. in Carinis ante aedes duas, de quarum nominibus Beckerus p. 529. ignorantiam fatetur. Idem fere cadit in aras, quae Pompeiis in templorum reliquiis repertae sunt. Ex numis permulti arae rotundae effigie percussi sunt, praecipue Domitiani ap. Morellium tabb. VI. 9. 10. 34. VIII. 15. IX. 19. 23. 31. XVII. 4. 5. Alia ararum exempla, de quarum forma difficile interdum iudicium est, in numis Augusti sunt ib. tabb. XXVII. 1. XXX. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. Elegantioribus denique formis qui delectetur adeat Clarac Musée de sculpt. tabb. 130 et 249 — 54. Marinium ad Vitruv. 4. tab. 72. Ararum earum praecipue, in quibus sacrificia publica et sollemnia facienda essent, prominere paululum oras oportebat, quas manu attingere mos erat et sacrificantibus (Macrob. 3, 2, 8.) cum libamenta pollucerent, et iurantibus, quo luculentius deum, cuius illud quasi pignus tenerent ipsum testem facerent (Cic. p. Flacc. §. 90. cl. Serv. 6, 124.). Hae sunt, quas Varro ap. Macr. l. c. ansas sive asas, unde arae dictae sint, appellat. Quae elegantiori forma sunt cymatia fere columnarum imitantur, velut quae reperiuntur in aris Pompeianis ante Aesculapii, quod dicitur, templum et ad aedem Quirini vel in numis Augusti ap. Morellium tabb. XIII. 7. XVII. 35.

Locus consecratus, in quo ara posita esset, etiamsi ibi aedes non esset, omnibus temporibus satis ad cultum deorum et religionis et sanctitatis habere visus est. Ea

loca sunt, quae fana proprie appellabantur (Liv. 10, 37.). Herculis in foro boario per multa saecula non fuit nisi locus conseptus cum ara maxima (Solin 1, 10.), aedes enim rotunda sexto demum saeculo ab Octavio Hersenno (Macr. 3, 6, 11.) condita est. Vetusto Iovis Statoris fano, quod in summa sacra via Romulus dedicarat, aedes anno demum 460. a. u. adiecta est (Liv. 10, 37.); item in circo Flaminio Apollinari, quod tum nominabatur anno 323. a. u. (Liv. 3, 63. 4, 29.). Aedium autem constituendarum hanc regulam Vitruvius 4, 5. ponit, ut si fieri possit adversus occidentem ipsa templa et deorum simulacra spectent, arae in orientem: qui enim sive supplicantes sive sacrificantes ad aram accedant, cum ipsum deum, tum auspicatiorem caeli regionem intueri oportere. Binae autem minimum ut cum unoquoque templo coniunctae arae essent, sacrorum usus et ratio postulabat. Quamquam enim in multiplici et varia sacrorum supellectili plures haud dubie arulae foculique erant, quas simul cum ipsa aede dedicari solere Macrobius 3, 11, 5. et Serv. Aen. 3, 134. 8, 279. significant, stabiles tamen et quasi cum solo sacratae binae tantum fuisse videntur, quarum altera, cuius in permultis aedibus mensa vicem sustinebat, in ipsa cella, altera remotiori paululum loco ante pronaum posita esset. Eius collocationis quae ratio sit ex ipso usu apparet, quo ara, quae extra aedem esset, sacrificiis destinata erat, quae intra sacris: esse enim, quo haec differant, subtiliter significavit Ios. Scaliger ad Fest. s. v. mensae. Nam in sacrificiis faciendis, ut immolationes taceam, quas res docet sub divo fieri oportuisse, ne exta quidem reliquave libamenta, quae deo pollucerentur, unquam sub tecto, sed in aperto, ita ut fumus in caelum adscenderet, igni cremata

esse certissimum est. Habet enim in hoc rituum et caerimoniarum genere luculentissimi exempli vim sacrorm in luco deae Diae factorum descriptio in actis fratrum Arvalium tab. 41[a]. Sollemnis ibi sacrificiorum ordo hic est, ut primum porciliae piaculares duae ad aram immolentur, quam in luco ante aedem fuisse ostendit tab. 41[a], 17: *in luco ad aram immolavit* et v. 26: *item foras ad aram reversi thesauros dederunt.* Has sequitur vaccae honorariae sacrificium in circo (ib. v. 18. 19. tab. 32[b], 23. tab. 36, 2.); postremo vero peculiaris et primaria deae Diae victima, agna opima, caeditur, cuius rursus in luco ad aram, quam diximus, exta porriciuntur, ut apparet ex tab. 41[a], 23. Horum omnium nihil in aede geritur; similiter tab. 43, 6: *ante aedem,* 32[a], 24: *ad aedem,* 43, 11: *ante Caesareum* hostiae mactantur, eodemque fieri non potest quin exta reddita sint. Sacrum contra, cum quo mysterii nescio quid coniunctum videtur maxima ex parte intra parietes fit, tab. 41[a], 24: *deinde reversi in aedem in mensa sacrum fecerunt ollis,* et v. 29: *in aedem intraverunt, et ollas precati sunt et ostiis apertis per clivum* [iac]*uerunt, deinde subsellis marmoreis consederunt et panes laureatos per publicos partiti sunt, ibi omnes lumemulia cum rapinis acceperunt et deas unguentaverunt et aedes clusa est, omnis foris exierunt.* Has ollas non adducor, ut extares fuisse cum Marinio p. 593. credam; agnae enim opimae exta, de quibus solis cogitari possit, paulo iam antea et reddita et cremata esse formula argumento est ib. v. 24: *perfecto sacrificio omnes ture et vino fecerunt.* neque tamen quid libamentorum sacro illo polluctum sit, certius definire ausim. Et plerorumque quidem

sacrorum haec ratio fuit, ut praeter hostiarum immolationem et exta sub divo porrecta intus quoque caerimoniarum aliquid ageretur, quae penetralia sacrificia Festus vocat p. 250[b]: *Penetrale sacrificium dicitur, quod interiore parte sacrari conficitur.* Ad haec igitur aut mensa, id quod in antiquissima fere sacra cadit, aut ara opus fuit. Eius generis fuerit ara necesse est, quam Tacito Ann. 16, 31. teste, Servilia, nobilis mulier, cum apud senatum in templo Veneris Genetricis causam diceret, cum fletu et lacrimis complexa est. Suetonius quoque quod narrat Augustum sanxisse (c. 35.), ut priusquam consideret quisque senator, ture ac mero supplicaret apud aram eius dei, cuius templo coiretur, haud dubie de aris in ipsis templis accipiendum est. Omnino autem sacris in ipsa cella faciendis etiamsi farris aliquid vel frugum vel struis adhiberi potuisse non prorsus negarim, plerumque tamen ignem purum adiecta turis mica satisfecisse vel haec una res docet, quod verum esse nequit, quod dicit Arnobius 7, 15., deorum simulacra nigrore ferali offuscari solere. Vestae tamen quotannis V. Non. Iun. quo die Vestalia celebrabantur, cibos ab omnibus matronis de patellis in aram redditos esse Ovidius significare videtur Fast. 6, 310: *Fert missos Vestae pura patella cibos.* In reliquis sacris quae maiori molestia cremarentur iis aris haud dubie reservata sunt, quae sub divo positae erant, interiectis inter ipsas et aedem aliquot passibus, ut apparet ex reliquiis templorum Pompeianis, quas volgo Fortunae, Aesculapio, Quirino, Veneri tribuunt.

Iam vero de focis videndum est, quos cum aris M. Varro ita comparavisse videtur, ut primum ipsum nomen latius aliquanto patere veriloquio doceret, siquidem eius

sunt, quae Servius 12, 118. (cl. 11, 211.) affert: *quicquid ignem fovet focus vocatur sive ara sit sive quid aliud, in quo ignis fovetur,* deinde usum in omnibus sacris neque antiquum minus neque legitimum fuisse ostenderet, ap. Serv. Aen. 3, 134: *Varro rerum divinarum refert, inter sacratas aras focos quoque sacrari solere, ut in Capitolio Iovi Iunoni Minervae, nec minus in plurimis urbibus oppidisque, et id tam publice quam privatim solere fieri.* Deorum vero Penatium cum focis domorum ita coniuncta sacra fuerunt, ut aris in hoc genere locum unquam fuisse satis confidenter Servius neget Aen. 3, 178: *cum aris etiam focos solere numinibus consecrari, sed hic ideo focis, non aris, quia privatum sacrificium sequitur nam Penatibus sacrificat.* Nec magnum sane operosumve ea sacra apparatum desiderabant: inter ipsam enim coenam, quam cotidie in conspectu deorum familia consumebat, libamentorum aliquid polluceri et cremari oportebat (Serv. Aen. 1, 730. Varro ap. Non. p. 544, 1.); interdum qui scrupulosius religiones curabant, porcam etiam immolabant, quibus ara opus fuisse Horatius docet carm. 3, 23, 4. et 17: *Immunis aram si tetigit manus non sumptuosa blandior hostia mollivit aversos Penates farre pio et saliente mica.* Cum autem non solum propter insignem rituum varietatem, sed ob perpetuam etiam omnium rerum, quae publice agerentur, cum iure divino coniunctionem fieri non posset, quin loco saepe res divina facienda esset, in quo ara constituta non esset, ac sine aliquo incommodo ne posset quidem constitui, focorum genus repertum est ansatum et argilla plerumque vel aere vel pretiosiore etiam materia fabricatum, quod facile tolli et circumferri posset.

Hi sunt, qui foculi proprie appellabantur. In consecrationibus bonorum, quibus tribuni suas populique iniurias ulcisci solebant, foculi usum sollemnem fuisse Cicero testatur de dom. §. 123: *consecravit foculo posito in rostris adhibitoque tibicine.* §. 124: *capite velato contione advocata foculo posito.* Idem significat Plutarchus Crassum ab Ateio trib. pl. sollemni execratione devotum narrans Crass. 16: *ἔθηκεν ἐσχαρίδα καιομένην... ἐπιθυμιῶν καὶ κατασπένδων ἀρὰς ἐπηρᾶτο.* Obsecrationibus publicis ap. Plin. 28, 3. §. 11. fieri non potest quin foculus adhibitus sit, quod indicat victimarum mentio. Nam hostias quoque ad foculum immolatas extaque eo reddita esse frequens ostendit eius rei mentio in sacris deae Diae, in quibus egregie Marinius p. 311. observavit inter aram et foculum certum et constans religionis discrimen observari, unde quanta in iure sacrificiorum subtilitate singulorum rituum vis et ratio descriptae fuerint coniectura aestimare licet. Fuit enim sacrificiorum, quae in luco quotannis fratres facerent, haec lex, ut non solum propria deae Diae victima, agna opima (tab. 41ᵃ, 24.), sed piaculares etiam hostiae omnes, velut porciliae (t. 41ᵃ, 17. 25ᵃ, 3. 32ᵇ, 22.), quibus luci coinquendi causa, vel porca et agna (t. 42, 11. 43, 22.), quibus ob ferri inlationem piaculum fieret, in suovetaurilibus denique boves duae auro iunctae (t. 43, 6. 32ᵇ, 8.) ad aram immolarentur, sola honoraria vacca (25ᵃ, 5. 32ᵇ, 23. 36, 2. 41ᵃ, 18. 19.) semper ad foculum; eademque in extis reddendis ratio constantissime observata est.

4. Iam perventum est ad eam pontificalis disciplinae partem, quae quia non in solis sacerdotum officiis, sed in universi populi voluntate studio religione versatur, pri-

marium semper locum in cultu deorum obtinuit: ad curam et leges sacrificiorum. Cum autem sacrificia non ritu tantum et caerimoniis, sed vi etiam ac natura diversissima sint, de universi instituti origine paulo curiosius quaerendum erit, quo rectius qui ille in animis hominum impetus, quod desiderium fuerit, quo deorum numen caesis victimis et frugum primitiis oblatis placari posse sibi persuaderent. Quam quaestionem E. Lasaulx nuper Studien des class. Alterth. p. 233. sqq. tanto non solum acumine, verum sublimitate cogitationum et veri inveniendi sollicitudine tractavit, ut quamquam nimio in concludendo subtilitatis studio ductus ad eundem fontem revocaverit, quae re dissimilia sunt, summa tamen eius disputationis optimae frugis plena sit. Cum enim generis humani res a felicissimis primordiis profectae sint, quibus tanta hominum voluntati cum divini numinis consiliis et cogitationibus coniunctio fuerit, ut tanquam in sinu matris liberi, ita in illo caritatis et innocentiae beneficio homines acquiescerent (p. 235.): ubi primum hominum culpa factum sit, ut rupto illo pietatis vinculo sua illi studia ab aeternis dei consiliis abalienarent, fieri non potuisse quin animum statim cogitatio tangeret, neque salutis sibi quicquam relictum esse, et culpam illam, qua vita deo debita polluta sit, nisi morte expiari nullo modo posse (p. 236. 277.). In tam atrocis conscientiae metu unam solatii spem affulsisse: veniae locum fore, si modo inventus esset, qui cum sine culpa ipse esset, voluntariam pro reo mortem obiret (p. 242.). Inde iam maioris confidentiae opinionem natam esse: satisfieri irae divinae, si quicquid culpae ab universo populo commissum esset, in unius caput coniceretur, qui poenam, quam omnes meruissent, solus susciperet: vetu-

stissimum igitur victimarum genus humana corpora fuisse, quorum nece piacula pro civibus fieri visa sint (p. 244. 253.). Eius vero superstitionis crudelitatem cum paulatim homines aversati sint iamque deos vilioris hostiae sanguine placari posse satis confiderent, pecorum animis litari coeptum esse (p. 255.). Postremo evanescente paulatim veteri illa et tristi culpae notione, pro qua morte poena luenda sit, cum pietate praecipue et mentis integritate sacrificia dis commendari intellectum esset, imaginem quoque sacrificii humani satis ad expiationem efficacem visam esse, cuius in ritibus, quibus Saturnalia, Compitalia, Argeorum sacra celebrata sint, vestigia remanserint (p. 259.). Quod igitur per hos quasi gradus hominum opiniones immutatae paulatim sint argumento esse, omnia sacrificia vi et origine piacularia esse (p. 236.): quamquam enim frugibus quoque et libis res divina facta sit (p. 260.), propriam tamen sacrificiorum vim non elucere, nisi ubi pro anima anima litetur. Nec sane veteres homines quod culpam sacrificio purgari posse crediderint opinionem fefellisse: unum esse, quod satis secum non reputaverint: omni culpa ipsum vacare debere, qui reliquorum peccata sua morte expiare velit: hoc vero non cadere nisi in unum excelsissimam sanctissimamque victimam, cuius nunc nos quoque beneficio hanc in terra vitam toleremus, aeternam in caelo speremus: Iesum Christum (p. 277. 279.).

Haec ratio, qua tam subtiliter in ipso veterum populorum errore remedii, quo opus erat, divinatio quaedam ostenditur, tamen quominus plane probari possit, duae maxime res impediunt: primum enim ibi minus recte ad omnia sacrificia transfertur, quod unius tantum generis est, cum praesertim tantum absit, ut sacrificia re et no-

tione nil nisi expiationes sint, ut longe plurima inde ab antiquissimis temporibus cultui praecipue et venerationi deorum destinata fuerint. Frugum igitur et de foetibus gregum primitias, quibus animum tot beneficiorum memorem deo ostenderent, pie grateque priscos homines pro libamentis in aras reddidisse crediderim. Deinde vero ne earum quidem cogitationum, unde piacularium sacrificiorum desiderium ortum sit, satis aptam imaginem vir doctissimus informasse videtur; quod enim homines voluntatis a deo abalienatae conscientia percussos, spem tamen fovisse dicit, fore ut piaculo facto purgarentur, haud satis attendit, expiationes non fere nisi eorum criminum fuisse, quae manu et re commissa essent, animo nulla culpa obstricto. Apud Romanos certe, nam de aliis populis nunc dicere longum est, primaria haec semper iuris divini lex fuit, nullum peccatum, nisi quod aut imprudens quis, aut necessitate aliqua coactus commisisset, rite purgari posse. His excusationibus omne piaculorum ius niti demonstratu facillimum est: de imprudentia luculentus apud Macrob. 1, 16, 10. locus extat, quo eum, qui ferias imprudens polluerit, porco piaculum facere debuisse refert, prudentem Q. Mucii sententia purgari non potuisse. cf. Cic. de legg. 2. §. 37. Ad alterum genus, quo expiabantur quae propter necessitatem aliquam aut facta contra, quam fas esset, aut praetermissa essent, pertinent piaculares hostiae a fratribus Arvalibus saepissime immolatae ob ferrum marmoris scalpturae causa luco vel inlatum vel elatum, tab. 23, 20. 23. t. 32[c], 20. 23. t. 43, 21. 24. Marini p. 218., deinde porca qua P. Mucius ap. Cic. de legg. 2, §. 57. heredem purgari iubebat, qui defuncto, qui mortuus in nave et in mare proiectus esset, iusta facere non potuisset. Postremo

vero a veteribus iuris divini peritis, qui hunc locum diligenti cum cura tractarunt, certissimi discriminis argumentum animadversum est, quo piacularia sacrificia genere et origine a reliquis diversa fuisse apparet: omnium enim hostiarum, quae cultus et venerationis causa mactarentur, haudquaquam illos fugit exta semper inspici moris fuisse, unde utrum grata deo victima fuerit, necne cognosceretur: a piacularium contra ratione, cum hominis loco sive aries sive porcus morte poenas lueret, litationis curam prorsus alienam fuisse. Qua de re primarius extat Trebatii ex libro primo de religionibus locus ap. Macrob. 3, 5, 1: *Hostiarum genera esse duo: unum, in quo voluntas dei per exta disquiritur, alterum, in quo sola anima deo sacratur, unde etiam haruspices animales has hostias vocant.* quae repetit Servius Aen. 4, 56. Et prius quidem illud genus, quod *consultatorium* vocat Macrob. 3, 5, 5., fieri non potest quin latissime patuerit: in sollemnibus certe cultus sacrificiis litationis usum antiquissimum fuisse ex tab. 41[a], 23. Arvalium apparet, ubi rituum ordo hic est: *vittis spiceis coronati lucum ascenderunt... agnam opimam immolarunt et hostiae litationem inspexerunt.* cf. Marini p. 587. Alterum vero, quod posuit Trebatius, earum, quae animales hostiae vocentur, nullum extispicium fuisse, eiusmodi est, ut satis certo argumento ne piacularia quidem sacrificia eodem omnia iure fuisse cognoscas. Quaeritur enim et quaesitum olim est, quo iure distinguantur quae volgo poni videmus, duo piaculorum genera (Marquardt p. 251. 303.): aut enim culpa, quam quis vel imprudens vel invitus, nullo certe mentis crimine commisit, victima caesa expianda est, aut prodigia iis hostiis quibus sive pontifices sive XV. viri

decreverint, procuranda. Hos ritus qui nunc inter se comparaverit, facile vi et notione religionis non ita dispares fuisse suspicetur. Cum enim omnis prodigiorum ratio in hac maxime opinione versetur, latentem aliquam culpam pro qua dis postiliones sint (Cic. de har. resp. §. 20. Varro l. L. 5, 148. Arnob. 4, 31.), illis indiciis, ut maius periculum averruncetur, significari, non sine ratione conicere licebit, victimas illas, quibus sacerdotes deorum iram placare iuberent (Liv. 30, 38. 36, 37. 39, 22.), eodem poenae genere et lege pro universo populo vicariam mortem subisse, quo fere pro singulis hominibus piaculares hostiae, quibus inde animalibus nomen fuit, specie supplicii mactabantur. Verum alio ac cautiore longe iudicio veteres iuris periti, qui earum rerum, quas avito more et consuetudine ductum volgus faceret, causas et iura definiendo enucleare conarentur, quid utrique generi proprium et peculiare esset, explicarunt. Hi igitur cum animalium hostiarum, quae hominum loco necarentur, haud magis, quam ipsorum hominum extispicium esse, rectissime definierint, si ulla huic disciplinae constantiae cura fuit, haud dubie hostias prodigiorum procurandorum causa immolatas pro animalibus hostiis non habuerunt: in his enim exta diligentissime consuli solita esse notum est, velut ex Liv. 27, 23: *horum prodigiorum causa... per dies aliquot hostiae maiores sine litatione caesae, diuque non impetrata pax deum.* Ne vero in tam circumspecta veterum scriptorum subtilitate incautius ipsi egisse videamur, confitendum sane est prodigia quoque tali interdum sacrificiorum genere procurari placuisse, in quo satis perspicuum sit, vicaria victimae morte et animae, ut ita dicam, immolatione iratum deorum numen placatum esse.

Nam ut nunc Curtii voluntariam mortem, quae devotionis potius, quam procurationis vim habet (Varr. 5, 148.), ut Gallorum Graecorumque hominum sacrificia, quae suasu et auctoritate librorum Sibyllinorum, more minime Romano facta sunt (Liv. 22, 57.), taceam: maenas certe, quarum ipsum nomen ad animas alludere videbatur, ad fulgura procuranda pro hominum animis (Fest. p. 238[b].) immolatas esse, venustissima fabula docet: cum enim Iupiter olim Numae Pompilio de eius prodigii expiatione quaerenti tristius aliquid respondisset, tanta id urbanitate regem deprecatum esse fama erat, ut ipse deus illo pisciculorum genere placabilem se fore promitteret (Liv. 1, 20. Plut. Num. 15. Ovid. Fast. 3, 342.).

Ex his, quae de universi moris origine paulo altius repetenda erant, duo apparet sacrificiorum genera fuisse, alterum in quo hominis loco hostia caedebatur, alterum cultui et venerationi deorum destinatum. Iam in utroque quae rituum et caerimoniarum leges observatae maxime sint quaeramus, quorum nihil tam leve tam exiguum fuit, quin suam quandam propriam vim et potestatem habuerit. Et primum quidem piacularium sacrificiorum usus fieri non potest quin maximi semper in prisco iure Romano momenti fuerit, neque enim pauca tantum criminum genera, quorum apud scriptores casu memoria extat, sed omnia, quae modo dolo caruissent illo expiationis beneficio purgari potuisse probabile est. Eam expiationem qui causam pontificibus probasset facile impetrare solebat (Cic. de legg. 2. §. 21.); differre tamen vel omittere nemo sine impietatis crimine poterat (Cic. l. c. §. 22. Serv. Aen. 1, 378.); vetustissimae enim Romanorum de criminibus leges hac opinione nituntur, omne ius et fas non mente tantum et con-

silio, sed ipso facto, etiamsi ab invito vel imprudente commissum sit, violari, neque ullo modo fieri posse, ut damnum inde acceptum resarciatur, nisi ea, quae in lege constituta sit, poena exacta, factum expietur. Cum autem ea esset antiquissimi iuris Romani severitas, ut pleraeque leges capitali poena sanctae essent, ne scrupulosissima iuris cura in summam hominum iniuriam verteret, imago illa supplicii inventa est, qua pro homine hostia occidebatur. Vetus erat lex, qua si mortuo is, ad quem funus pertineret, iusta rite non fecisset, poena capitali tenebatur (Paul. p. 77.), imprudentem tamen vel invitum porca, quae Cereri immolaretur, purgari fas erat (Paul. p. 223.), de quo sacrificio Paulus cogitasse videtur, qui p. 103. humanum sacrificium dictum esse ait, quod mortui causa fieret. Eodem pertinet porca, quam eum, qui ferias polluisset, immolare oportebat (Macrob. 1, 16, 10.). Difficilius de ariete iudicium est, quem secundum Numae legem is, qui hominem invitus occidisset agnatis occisi tradebat (Serv. Ecl. 4, 43. Georg. 3, 387.). Hic igitur, quamquam animalis hostia haud dubie est, piacularis tamen minus recte a Cincio (Fest. p. 347 b.) vocari videtur: hanc enim qui piaculo egeret, ipsum pro sua culpa offerre oportebat, agnatis vero occisi nullo modo adducor, ut expiationem interfectoris permissam esse credam. Itaque alia insuper hostia, qua piaculum fieret, opus fuisse putaverim. cf. Paul. p. 66, 1. In levioribus peccatis castigandis hanc fere rationem priscarum legum latores secuti sunt, ut etsi lex talis esset, ut nisi a prudente peccari vix posset, tamen pro ea culpa non caput violatoris, sed sacrificium illud, quod capitalis poenae vim et speciem habet, dis deberi adscriberent; cuiusmodi est, quod Numa pellicem, quae

aram Iunonis tetigerit, demissis crinibus agnum feminam caedere iubet (Paul. p. 222.), viduam autem, quae intra decimum post mortem mariti mensem rursus nupserit, bovem praegnantem (Plut. Num. 12.). Tristem tamen, quae omnibus huius generis sacrificiis communis fuit, supplicii vim nunquam prorsus hominum memoria excidisse documento est ritus, quo, ut significat Arnobius 7, 3., in animalibus hostiis institutum fuit, ut sanguinem canes abligurirent. Cum hac consuetudine pugnare sane videtur, quod fratres Arvales porciliarum piacularium, quae luci coinquendi operisque faciundi causa quotannis mactantur, et viscera et sanguinem epulantur (tab. 41 [a], 22. Marini p. 587.): verum huius sacrificii ratio plane singularis est, res enim, propter quam fit, nomine sane religionis violatio est, ita tamen ad ipsa sacra et cultum necessaria, ut omitti vix sine piaculo possit. Carnem hostiarum animalium quo iure Servius Aen. 3, 231. dicat sacerdotibus semper profecisse, mihi exploratum non est.

5. Transeundum est ad alterum sacrificiorum genus, cuius in cultu maxime vis et religio versabatur. In his maior haud dubie aliquanto caerimoniarum et rituum varietas fuit, quorum scrupulosa et subtilis disciplina vetustissima fortasse iuris pontificii pars fuit, cuius majori quodam iure auctor Numa ferebatur (Liv. 1, 20. Serv. 12, 836.). Cum autem sacrificiorum, si apparatum spectes duo genera sint: aut enim fruges tantum et liba, aut hostiarum exta dis pollucentur, quidam tanta antiquissimos homines simplicitate praeditos informarunt, ut tempus fuerit, cum nullius victimae sanguis aras tingueret, sed libamentis minime sumptuosis, quae terra procreasset, di placati sint. Ita Numam rem divinam fecisse Plutarchus testis est Num. 8:

κομιδῇ δὲ καὶ τὰ τῶν θυσιῶν ἔχεται τῆς Πυθαγορικῆς ἁγιστείας· ἀναίμακτοι γὰρ ἦσαν αἵ τε πολλαὶ δι' ἀλφίτου καὶ σπονδῆς καὶ τῶν εὐτελεστάτων πεποιημέναι, quibus nimium tribuit Marquardt p. 44. Plutarchum enim apparet opinionem potius eorum, qui Numam Pythagoreum fuisse sibi persuaderent, quam certae rei memoriam posuisse. Hostiarum enim immolationes vetustissimis velut Luperci sacris (Plut. Rom. 21. Serv. 8, 343.) adhibitae sunt et frequenter in vetustissimis, quae de ritibus sanctae sunt, legibus commemorantur (Fest. p. 189[a], 12. Varro 5, 98. Preller p. 115.). Iam igitur ut de hostiis videamus, primum ipsius nominis vim, quae volgo latius patet, ita ut omnia pecorum genera comprehendat, qui accuratius locuti sunt, arctioribus finibus circumscribunt. Hostias enim Fronto de diff. voc. vol. 2. p. 482. (Mediol.) ait proprie vocari, quae humilioris staturae sint, victimas, quae altioris. Hinc rectissime Ios. Scaliger explicandum censet, quod apud Paulum p. 126. maxima hostia ovilis pecoris dicitur, cui interpretationi sine causa diffidit Muellerus. Aetatis duo in universum gradus in victimis hostiisque distingui solent, aut enim lactentibus aut maioribus sacrificandum est: illas privatis fere sacris adhibitas esse verisimile est, maiores publicis, quod praecipue in suovetaurilia cadit, quae modestissimo apparatu aratores ap. Caton. r. r. c. 141. instruunt, magno maiorum hostiarum numero Arvales tab. 32[a], 24. 32[b], 8. 41[a], 1; quamquam publice quoque lactentibus hostiis litari potuisse constat, ut ap. Liv. 22, 1. 37, 3. Cic. de legg. 2, §. 29. Lactentium tamen hostiarum unicuique generi certus dierum numerus praefinitus erat, quo expleto maturae demum sacrificio videbantur. Earum constitutionum pulcre Plinius memoriam

servavit 8, 51. §. 206: *suis fetus sacrificio die quinto purus est, pecoris* (i. e. ovis) *die septumo, bovis tricesimo.* De porcis Varro dissentit r. r. 2, 4. p. 177. Bip., qui diem decimum expectandum esse dicit, post quem antiquo vocabulo sacres vocari incipiant. In vitulis autem, quibus solis ex omnibus animalibus cauda crescit, ob hanc rem legis cautioni adiectum est (Plin. 8, 45. §. 183.): probum non videri, nisi cauda articulum suffragii contingat. Haec ex parte immutavit Ti. Coruncanius (cos. 474. a. u.), quem Plinius 8, 51. §. 206. sanxisse refert, ruminales hostias donec bidentes fiant, puras non videri. In hac lege explicanda fieri non potuit, quin magnopere errarent, qui bidentes hostias bimas significari sibi persuaderent, velut Nigidius Figulus et vetus iuris pontificii interpres apud Gell. 16, 6., unde Servius Aen. 4, 57. mira confidentia hanc in hostiis probandis legem observatam esse dicit, ne minores duobus annis, neve maiores immolari liceret. Quae opinio fallacissimi generis argumento, vocis quod videbatur esse veriloquio nititur, bidentes enim, parva litterarum mutatione facta, biennes esse existimabant. Non multo felicius rem expediverunt, qui ut Hygin. ap. Gell. l. c. (cl. Serv. 6, 39.), hostias significari crederent, duobus dentibus eminentioribus praeditas, per quos appareat, ex minore eas aetate in maiorem transcendisse, nam hoc quoque in mera hariolatione versatur, Solus igitur qui doctrina, quam coniectura uti mallet, Verrius Flaccus fuit, cuius haec ap. Paul. p. 4. explicatio extat: 'ambidens sive bidens ovis appellabatur, quae superioribus et inferioribus est dentibus.' Neque vero dubitandum est, quin in omnia hostiarum genera id nomen cadere possit: bovem bidentem Paulus p. 35. appellat, verrem Pomponius

apud Gell. l. c. Ex ovili pecore quae ad id aetatis pervenissent, ut lacte quidem iam desuevissent, tonsae tamen nondum essent, sollemni pontificum vocabulo altilaneae vocabantur (Serv. 12, 170.). Quod hostiarum genus quamquam in maiorum numero haud dubie est, ut apparet ex actis Arvalium tab. 32[a], 24. 32[b], 1. 8. 10., quia tamen crescere nondum desiit, praecipuam quandam in sacrificiis vim habere putabatur, nam ut ait Servius l. c., in rebus, quas volebant finiri celerius senilibus et iam decrescentibus animalibus sacrificabant, in rebus vero, quas augeri et confirmari volebant de minoribus et adhuc crescentibus immolabant. Hoc quoque plurimum referebat, ut ea, qua fas esset, hostia res divina fieret, neque enim unicuique deo qualibet litari poterat. Et de sexu quidem ita haud dubie in sollemnibus sacrificiis pontifices sanxerant, ut dis maribus mares, feminis feminae immolaretur (cf. Cic. de legg. 2, §. 29.), quod suo more Arnobius carpit 7, 18 et 19. In iis autem sacris, ubi nominatim de sexu cautum non esset, propter reconditam quandam religionem haec semper lex observata est, ut primo loco mares, qui in sacrificiis minoris sunt, quam feminae, immolarentur, deinde si per marem litatum non esset, feminae succidaneae adhiberentur: nam si per feminam deorum pax impetrata non esset, de litatione eodem saltem die spes plane abicienda erat (Serv. 8, 640.).

Ferebat hoc cultus, quo Romani deos venerabantur ratio ac natura, ut unicuique deo sua peculiaris hostia esset, in qua sui numinis vis similitudine aliqua conspicua esset, aliae contra aut minus sibi gratae, aut invisae ita, ut earum sacrificio offendi plane videretur (Serv. Georg. 2, 380.). Et primum quidem de I o v i s hostiis Ateius

Capito, ipsis ut videtur pontificum libris fretus, hanc tanquam indubitatae semper auctoritatis legem posuerat ap. Macrob. 3, 10, 3: *itaque Iovi tauro verre ariete immolari non licet* et §. 7. *si quis forte tauro Iovi fecerit, piaculum dato.* Quamquam enim, ut ibidem Labeo docet, in summorum potentissimorumque numinum, Neptuni Apollinis Martis, sacris tauri sacrificium legitimum fuit, Iovem qui rite placare vellet iuvencum mactare debebat, plurimum enim, ut ait Servius Aen. 3, 21., hostia qua aetate esset, referre videbatur. Cum hac definitione sane confitendum est pugnare versum Vergilianum Aen. 3, 21: *Caelicolum regi mactabam in littore taurum,* nulla tamen poetae culpa: non quo credibile sit, quod veteres interpretes dicunt (Macrob. l. c.), causam praeberi prodigio, quod sequatur: sed quod tantam ille distinguendi subtilitatem a suo munere alienam iudicabat, eodem iure, quo Ovidius Fast. 1, 579 Herculem narrat ad aram maximam Iovi tauro fecisse, cum constet, ad eius sacrificii exemplum Herculi quotannis iuvencam immolatam esse (Varro 6, 54.). Titulum autem, qui in lamina osca extat ap. Mommsenum Dialecte tab. XII. *Diovei Versorei taurom,* facile cum iuris divini praeceptis componi posse doctissimus editor p. 192. significavit: taurus enim, qui appelletur, simularum haud dubie intelligi, Atei autem definitionem ad hostias, non ad donaria pertinere. Verum ipsi plerumque sacerdotes, missa disciplinae subtilitate, vocabulo, quod latius pateret, boves Iovis victimas vocarunt, ut Numa ap. Fest. p. 189[a]: *Iovi Feretrio bovem caedito,* et in voto publico ap. Liv. 22, 10: *bobus Iovi trecentis.* in Arval. tab. 8, 6: *Iovi bovem marem.* cl. 9, 8. 11, 8. 13, 9. all. Sicut autem omnium superum

deorum (Arnob. 7, 19. 20.), ita Iovis praecipue hostias laeto et candenti colore esse oportebat, quin niveis plane in sacrificio Iovis Latiaris antiquissimis certe temporibus opus erat, nam postea (Arnob. 2, 68.), cum eius generis copia non satis suppeteret, sctum factum est, ut rufulis uti liceret. In aliis tamen sacrificiis simpliciori remedio religioni satisfieri videbatur, si maculae atrae creta oblita obtegerentur, ut apparet ex Iuvenal. 10, 66: *duc in Capitolia magnum cretatumque bovem.* Iunoni, caelesti matronarum patronae, quae matronali quadam dignitate et ipsa praedita esset, vaccae praecipue sacratae erant: haec victima ad cellam deae in Capitolio sacrificabatur (tab. Arv. 15, 10. 16, 3. 22, 10. all.), et ad aedem in Aventino, ubi quod apud Liv. 27, 37. cum coetu matronarum X. viri sacrorum duas boves albas immolant, non plane singulare est, cum id collegium haud dubie cultus et sacrorum Iunonis Aventinensis, quam peregre advectam esse constat (Liv. 5, 22.), legitimam aliquam curam gesserit (Liv. 21, 62. 22, 1. 31, 12.). Ad alterum Iunonis munus, quo lucis, mensium vicissitudine decrescentis renascentisque tutelam gerit, unde et ipsa Lucina vocata est, porcae vel agnae sacrificium spectat, quo omnibus kalendis regina sacrorum in regia deam venerabatur (Macrob. 1, 15, 19.). Minervae Arnobius quidem vitulas tantum, quod virgo ipsa sit, immolatas esse dicit (VII. 22.), sed vacca litari potuisse Arvalium tabulae docent: 22, 13. 24, 16. 32, 8. Caprum tamen, quod olivam vel lambendo sterilem faciat, ei deae satis constat immolari non licuisse (Plin. 8, 50. §. 204.). Tellus autem et Ceres, quarum tutela et beneficio agrorum fecunditas, frugum ubertas, omnium rerum copia suppetere videbatur, tanquam duae rerum matres

praegnantibus hostiis delectabantur, genere tamen diversis: Telluri enim vaccae dabantur, unde feriis a. d. XVII. kl. Mai. Fordicidiis nomen inditum, quibus triginta bubus fordis pro totidem curiis res divina fiebat (Ovid. Fast. 4, 635.); Cereri vero, cui bovem, utilissimum aratoribus animal, mactare nefas habebatur (Ovid. F. 4, 413.), sus gravida acceptissima hostia erat (Macrob. 3, 11, 6.). Sus Cerealibus (Ovid. F. 4, 411.), itemque ante messem (Paul. p. 223. Fest. p. 253[a].) deae mactabatur. In Cereris initiis, quo castus haud dubie Cereris (Liv. 22, 56. Val. Max. 1, 1, 15. cl. Merkel p. CLXXX.) significatur, porcas immolatas esse Varro r. r. 2, 4. p. 175. Bip. testatur, simulacra tantum hostiarum Ateius Capito agnoscit ap. Fest. p. 238[b]: *Porcam auream et argenteam dici, quae etsi in numero non sint hostiarum nomen tamen earum habere, alteram ex auro, alteram ex argento factam adhiberi sacrificio Cereali.* Bonae Deae quoque quod porca immolabatur (Iuven. 2, 86.) dubium non est, quin ad terrae fecunditatem spectet, idem tamen in porcilias quoque piaculares fratrum Arvalium cadere (tab. 41[a], 17.) minus recte, opinor, Prellerus p. 355. statuit. In Martis cultu secundum duplicem eius dei vim et naturam duplex sacrificiorum genus institutum erat: agrorum enim et pecorum custodi sollemne et conveniens maxime sacrificium suovetaurilia sunt, bellorum rectorem equus decebat. Et suovetaurilia quidem quamquam aliis quoque dis velut piaculi loco deae Diae (tab. 32[a], 24. 43, 6.), vel post triumphum in Capitolio Iovi (Serv. 9, 627.) immolari solebant, origine tamen — id quod pulcre illustravit Preller p. 370. — lustrale aratorum sacrificium sunt, quo Martem sibi propitiabant (Cato r. r. 141.). October vero

equus fieri non potest quin ad bellica praecipue dei munera spectet (Fest. p. 178b. Plut. q. R. 97.), quamquam simul fortasse valuit, quod veteres dicunt (Paul. p. 220, 21. cl. Preller p. 323.), frugum eventum eo celebratum esse, siquidem lustralibus quoque ritibus ibi locum fuisse constat (Ovid. Fast. 4, 733. Fest. l. c.). Dianae quae in urbe erant templa mira quadam iuris diversitate fuisse memoriae proditum est. Nam quod ap. Plutarch. q. R. 4. quaeritur: *διὰ τί τοῖς ἄλλοις Ἀρτεμισίοις ἐπιεικῶς ἐλάφων κέρατα προσπατταλεύουσιν, τῷ δ' ἐν Ἀβεντίνῳ βοῶν·* dubium non est, quin liberalius interpretandum sit, ut discrimen ipsarum victimarum fuerit. Et Aventinensi quidem Dianae boves immolatas esse, notissimum ostendit eius vaccae exemplum, in cuius olim sacrificio Romae fata vertebantur (Liv. 1, 45. Val. Max. 7, 3, 1. cl. Marquardt p. 306.). In reliquis Dianae fanis, quorum fere obscurior memoria est (Plut. q. R. 3. Liv. 1, 48. Cic. har. resp. §. 32.), lege praescriptum fuisse videtur, ut cervae immolarentur, quas Ovidius quoque Fast. 1, 386. in numero hostiarum ponit, re tamen ovibus quoque litari potuisse crediderim, quae nomine et specie cervarum offerrentur: has Paulus nisi fallor significat p. 57: 'Cervaria ovis, quae pro cerva immolabatur.' Nec dissimilis aliorum quorundam sacrorum ratio fuit, in quibus, ut ait Servius Aen. 2, 116., pro hostiis quae difficilius invenirentur, simulacra de cera vel pane facta offerebantur. Quod enim ibidem in pauca verba Servius confert, 'solere in sacris simulata pro veris accipi' (cf. Serv. Aen. 4, 512.), usu semper in iure divino Romanorum latissime patuit, quia prudenti pontifices ratione sibi persuaserant, si quid in religionibus sacrorum expleri non posse videretur, satisfieri legi divinae, si no-

mine tenus factum esset. Cuius rei luculentum exemplum sacrificium est, quod Vediovi ad aedem, quae inter duos lucos fuit (Ov. Fast. 3, 430. Gell. 5, 12, 2.), quotannis fieri solebat: id cum lege crudelissimum esset, hominis enim caput flagitabatur, re mitius semper administratum est: ritu enim humani sacrificii servato, capra immolabatur (Gell. l. c. §. 12.). Eadem hostia in insula Vediovi oblata esse videtur, quod enim Servius Georg. 2, 380. narrat, Aesculapium, cuius ibidem aedes fuit, capris placari solere, cum ei numini gallinas immolatas esse constet, ad Vediovem praecipue spectare videtur, quamquam licet etiam de communi utriusque dei sacrificio cogitare, cum non loco solum, sed cultu quoque et vi etiam (Preller p. 238.) coniunctissimi semper fuerint. Libero patri quod caper sacer putabatur (Ov. Fast. 1, 360. Serv. Georg. 2, 380.), Graecorum exemplo factum est; eundem Arnobius 7, 21. Mercurio quoque tribuit, cuius item ut Liberi cultum valde probabile est librorum Sibyllinorum auctoritate institutum esse (Marquardt p. 313.), in lectisternio certe, quod anno 355. a. u. primum in urbe duumvirum iussu habitum est (Liv. 5, 13.), inter reliquos deos, qui adventicii fere sunt, Mercurio quoque lectus stratus fuit. Duplex, quo Volcanus propitiabatur, hostiarum genus e duplici dei munere explicandum est, incendiorum enim saevo immitique domino placando hostiae, quae ignem colore imitarentur, aptissimae videbantur, unde in sollemni Volcanalium sacrificio liberae reipublicae temporibus flamen haud dubie dei (Marquardt p. 269.), postea unus e praetoribus robiis litabat, ut apparet e titulo de area scripto, quae prope aedem Mercurii (Becker p. 470.) Volcano dedicata est, Orell. 736: *Et ut praetor, cui haec regio*

(circus Maximus) *sorte obvenerit litaturum se sciat aliusve quis magistratus Volcanalibus X. kl. Sept. omnibus annis vitulo robio et verre.* Verum fulgurum quoque cura, etsi non soli, aliqua tamen ex parte Volcano tribuebatur (Fest. p. 290[b]. Gell. 4, 5. Dio Cass. 78, 25.). In hoc munere ut mitem se placidumque praestaret, Volcanalium die maenas volgo in ignem mittebant (Fest. p. 238[b].), quas ut animarum humanarum loco acciperet, deum precabantur, eodem ritu, quo fulgura, Iove tonante facta, statim procurari solebant (Ovid. Fast. 3, 342.). Robigini quod Robigalibus (VII. kl. Mai). praeter ovem canis etiam immolabatur (Ov. Fast. 4, 908.), quam rutilo colore esse oportebat (Fest. p. 285[a].), facile explicatu est, oritur enim eo tempore sidus caniculare (Ovid. l. c. 904.), segetibus plerumque, quarum tum primum nascentium frugum fetibus spicae tumescunt, periculosum. Genitae Manae Larum matri, canibus res divina fiebat (Plut. q. R. 52.), cum quia domesticum numen animal domesticum decebat, sicut et ipsis Laribus canes dilectissimae sunt (Ov. Fast. 5, 137. Plut. q. R. 51.), tum quod in deliciis catulina caro olim dis hominibusque fuit: nam Romani post Plauti demum aetatem ea vesci desierunt (Paul. p. 45.), deorum vero coenis, in quibus vetustos ritus religiose servari oporteret, semper adhibita est (Plin. 29, 14.). Sicut autem di superi laeto ita furvo et tristi hostiarum colore inferi delectabantur (Arnob. 7, 19. 20.). In ludis saecularibus, quorum primum iussu librorum Sibyllinorum anno 505. a. u. (Mommsen Roem. Chron. p. 180.) facta sollemnia sunt, institutum a X. viris est, ut Diti patri et Proserpinae furvae hostiae immolarentur (Censorin. 17, 8. Fest. p. 329[b].), quam rem minime necessarium est illos

ex Sibyllae praeceptis petiisse, cum saepe factum sit, ut cum in libris fatalibus prodigiorum piacula quaesita essent, in procurando permulta tamen ex vetustis patriisque Romanorum moribus fierent, quo pertinent novemdiale sacrum Liv. 36, 37. cl. 1, 31. ver sacrum Liv. 22, 9. Feroniae sacrificium Liv. 22, 1. Genii sacrificium 21, 62. colonia Eporediam deducta Plin. 3, 21. §. 123. Dio Cass. fr. Peiresc. 79. denique lectisternia, de quibus minus vere sibi persuasit Marquardt p. 52. cl. Preller p. 133. In vetusta devotionis formula ap. Macrob. 3, 9, 10. Diti patri (hunc enim in eiusmodi formulis reperiri non recte negavit Marquardt p. 312.) Vediovi Manibus imperator atris ovibus tribus facturum se pollicetur. In cenotaphiis Pisanis sacrorum, in memoriam L. Caesaris institutorum hic ritus est, ut quotannis atris hostiis bove et ove, infulis caeruleis infulatis, res divina dis Manibus eius fiat. Perniciosa tamen inferum deorum et infesta omni vitae vis nullis aptius hostiis, quam sterilibus significari poterat, quas in libris pontificum sollemni vocabulo taureas appellatas esse ex Servii loco Aen. 2, 140. conicias, ubi varia hostiarum nomina docte explicantur. Hoc genere Proserpina maxime laetabatur, cui vaccam sterilem tanquam propriam et peculiarem victimam Aeneas ap. Verg. 6, 249. immolat, more non Graeco, sed Romano, ut apparet ex Arnob. 7, 21. Conso propter infecunditatem mulos notum est mire gratos fuisse, immolari quoque solitos esse audacius conicit Saubert de sacrif. c. XXIII. p. 581.

6. Electa igitur, quam oportebat, hostia iam summa in sacrificio ipso diligentia adhibenda erat, ne si quid in caerimoniis praepostere minusve auspicate actum esset, pro pace deorum piaculum sacrificanti obiceretur (Serv. 5, 646.).

In publicis igitur sacrificiis, quae quam religiosissime fieri plurimum referebat, mos erat, ut pridie hostiae praecidaneae immolarentur (Gell. 4, 6, 7.), quarum hanc recte Prellerus p. 406. rationem fuisse suspicatur, ut si quid postridie in ipsis sollemnibus vitii casu accidisset, id fraudi populo Romano ne esset (cf. Paul. p. 223, 19.). Et initio quidem sacrificii curandum erat, ut placido lubentique animo ad aram hostia accederet, invita enim et reluctanti recte res divina fieri non poterat (Macrob. 3, 5, 8. Serv. Aen. 9, 627. Georg. 2, 395.), quicunque fecerant, pessimo exemplo fecerant (Liv. 21, 63. Val. Max. 1, 16, 12.). Ab eadem causa repetendum est, quod hostia, quae allata humeris esset, inutilis videbatur (Plin. 8, 45. §. 183.). Debitis ex voto hostiis titulus plerumque, qui causam sacrificii indicaret, praelatus esse videtur, si modo latius patet, quod Suetonius Oct. 59. narrat, testamento quosdam cavisse, ut titulo praelato votum pro se solveretur, quod superstitem Augustum reliquissent. (cf. Mat. de Cilano vol. 2, p. 378.). Constituta ad aram hostia, si proba et omnibus partibus integra inventa esset (Cic. de leg. agr. 2, §. 63.), cultrum, quo mox ferienda erat, is, qui sacrum faceret, a fronte ad caudam ducebat, quo clarius de propensa ad immolationem pecoris voluntate constaret (Serv. 12, 173. Lasaulx Studien p. 272.). Hos ritus, qui cavendi magis, ne quid mali ominis obsit, vim habent, iam ea sacrificii pars sequitur, a qua nomen universo negotio immolationi factum: cuius haec inprimis vis erat, ut hostia, quae adhuc profana fuisset, deo consecraretur et divini iuris res fieret. Frons igitur hostiae ara et cultri mola salsa, id est farre et sale, neque tamen nisi horno utroque, conspergebantur (Fest. p. 141 [a]. Serv. Aen. 2, 133.

4, 516.), cui rei ne quis tantum religionis fuisse miretur, ipsis Vestalibus muneri datum meminerit, ut suis manibus, opera, labore summis cum caerimoniis eam molam ritu, quo praescriptum esset, conficerent. Qua de re luculentus Servii locus extat Ecl. 8, 82: *Vestales tres maximae ex nonis Maiis ad pridie idus Maias alternis diebus spicas adoreas in corbibus messuariis ponunt, easque spicas ipsae virgines torrent, pinsunt, molunt atque ita molitum condunt. Ex eo farre virgines ter in anno molam faciunt Lupercalibus, Vestalibus, idibus Septembribus adiecto sale cocto et sale duro.* cf. Fest. p. 158[b], 28. Non. p. 223, 15. Molae autem praecipue adspersione victimas ex profanis sacras factas esse, optime Paulus ostendit p. 110., qui brevi et perspicua definitione immolare nihil aliud esse dicit, quam hostiam mola perspersam sacrare. Idem Vergilius 12, 213. significat: *tum rite sacratas in flammam iugulant pecudes.* Sacratam semel victimam, quae ab aris effugisset, licet iusto sacrificio inutilem, vivere tamen et profanam rursus fieri, fas non erat, *quia sacrorum est,* ut ait Serv. Aen. 2, 104., *ut fugiens victima, ubicunque inventa sit, occidatur, ne piaculum committatur.* Una tamen ratio extabat, qua res dis consecratae salva religione humani rursus iuris fierent: profanatio, quae lege et caerimoniis quibus oporteret facta esset. Hac interposita nihil religionis obstabat, quin extis deo redditis, maiorem viscerum partem populus caperet. Cuius iuris luculentissimum exemplum Herculis decuma est, quam quemadmodum primum ipse deus populo integram profanarat (Fest. p. 237[a], 24. Aur. Vict. de orig. gent. R. 6.), ita profanare posteri, qui sacrum eius exemplo facerent, omnibus tem-

poribus soliti sunt (Hartung. 2, p. 28.). Cum igitur profanationem certissimum sit proprie non cadere nisi in eam viscerum partem, quae populo cederet, postea tamen cum, ut fit, in ea voce non tam reconditam iuris notionem, quam eam, quae conspicua maxime esset, tribuendi vim, homines spectarent, factum paulatim est, ut exta quoque, quae in aram polluceri oporteret, profanari deo dicerentur (Cato r. r. 132.). Immolationem precatio sequebatur, sine qua iustum sacrificium fieri potuisse Plinius 28, 3. §. 10. negat: et extat eius religionis celebre exemplum ap. Liv. 41, 16., qui quod in sacro feriarum Latinarum magistratus Lanuvinus in una hostia precationis formulam omiserat, suspitioni tum causam praebuisse dicit, morte consulis, qui paucis diebus post decessit, deos iniuriam ultos esse. Iam ut ab omni parte consecrationis caerimoniae absolverentur, vini quoque pateram in frontem hostiae infundi oportebat, cuius rei vix recte rationem perspexit Servius, qui Aen. 4, 61. 6, 244. explorandi hoc genus fuisse opinatur, unde, si hostiae liquore tactae, non stupuerint, probas eas dis videri certo documento cognosci potuerit. Nam hunc quoque ritum ad honorem deorum pertinuisse, argumento sunt verba sollemnia, quibus sacrificantes cum vinum infunderent, uti solebant, quorum rursus, opinor parum accurate Servius formulam rettulit, qui si tauro res divina fieret, ita dicendum fuisse ait 9, 641: *mactus est taurus vino*, quod miror Brissonium quoque 1, c. 51. sine suspitione afferre; id vinum enim, quod hostiis infundebatur parum probabile est alia cum precatione libatum esse, quam qua ubique, cum vino supplicaretur, utendum erat, cuius haec verba Trebatius ap. Arnob. 7, 31. fuisse testatur: *Mactus* (imo: *macte*, cl. Cato r. r. 132.

134.) *hoc vino inferio esto.* Alius tamen eius libationis ritus in superum, alius in inferum deorum saeris observari solebat, quod discrimen Vergilius subtiliter significavit, qui cum in Iunonis sacrificio vinum 'fundi' (Aen. 4, 61.), in Hecatae 'invergi' (6, 244.) dicit, propriis et sollemnibus iuris pontificii verbis usus est: superis enim dis supina manu et inversa plane patera, inferis obliqua manu, ita ut vinum non omne simul effunderetur, sed paulatim destillaret, libari oportebat (Serv. 6, 244.). Absolutis omnibus caerimoniis sectisque denique aliquot de fronte hostiae capillis, qui tanquam libamentorum primitiae igni cremabantur, iam victima securi percussa caedebatur (Brisson. 1, c. 25. 26.), ea tamen cautione adhibita, ut quae inferis mactaretur ab inferiori parte, quae superis desuper feriretur (Verg. 6, 248. Serv. Georg. 3, 492.). Accuratior singularum rerum, quae in sacrificiis observandae fuerint notitia partim ex Vergilii aliquot locis peti poterit, ubi pulcre periteque eorum rituum imago adumbratur (Aen. 4, 60. 6, 244. 12, 172.), partim ex Catone, qui sacrorum maxime agrestium caerimonias praeceptis luculentissimis et ex ipsis haud dubie libris ritualibus petitis illustravit (83. 131. 132. 134. 139. 140. 141.).

7. Caesa victima reliqua sacrificii pars in eo praecipue negotio versabatur, ut dis hominibusque de visceribus quae ius fasque utrisque capere esset, summa cum religione et fide tribuerentur: quam disciplinae partem pontifices multis et variis definitionibus ita constituerunt, ut in unoquoque sacrificiorum genere certa lege non modo in primariis viscerum partibus, sed in frustis etiam carnium, quid dis deberetur, quid profanari liceret, satis constaret. Et eo quidem iure, ut integrum corpus dis cre-

maretur, quod genus nomine a pontificio iure alieno holocausta Servius 6, 252. vocat, non dubium est, quin pauca tantum sacrificia fuerint: habet tamen exempli vim, quod Vergilius 5, 253 Aeneam non exta tantum, sed viscera quoque Diti patri in aram reddentem fingit; idem tamen in victimam cadere, qua Herculi quotannis ad aram maximam res divina fiebat (Varro 6, 54. Verg. 8, 183.), minus recte sibi persuasit Niebuhrius Vortr. üb. Roem. Alterth. p. 449. Fuisse quaedam sacrificia, in quibus salva religione exta quoque profanari soleant, Festi p. 250[b]. definitio ostendit: 'prodiguas hostias esse, quae consumantur;' quae quamquam iusto breviora sunt, res tamen docet de integris victimis intelligenda esse. Plurimorum longe sacrificiorum haec ratio fuit, ut exta, quibus litatum esset, dis pollucerentur, viscera, hoc est carnes (Serv. 6, 253.), profano usui reddita a populo consumerentur. Et vetustissimis quidem temporibus viscerum plane sicut donariorum (Orell. inscr. 2488, 9.) profanatio, cum res dis sacratas gratis abalienari nefas videretur, venditionis ritu fieri solebat, cuius moris postea in solo Herculis sacrificio vestigia remanserunt: bovis enim, qui immolabatur, *carnes*, ut ait Servius 8, 183., *carius vendebantur causa religionis, et inde alter redimebatur, qui ex illius pretio comparatus quasi perpetuus esse videbatur.* Idem olim ad omnia sacrificia, publica certe et sollemnia pertinuisse Varro significat de l. L. 6, 54: *itaque uti* (*ubi* Flor. et vg.) *olim fano consumebatur omne, quod profanum erat, ita* (*ut* Flor. et vg.) *etiam fit, quod praetor urbis quotannis facit, quom Herculi immolat publice iuvencam.* Noverit quoque eum ritum necesse est, qui ap. Paul. p. 350. (cl. Fest. p. 351[b].) Tarquinio Superbo re-

gnante pestilentiae causa, quae ex carne taurorum diventita populo orta fuerit, taurios ludos institutos tradidit.

Dis autem immortalibus Romanorum institutis duo praecipue de victimis immolatis fercula debebantur, alterum extorum, quod omnium sacrificiorum est, alterum eius, quod augmentum sive vetustiori sollemniorique vocabulo magmentum vocabatur, de quo seorsum in legibus fanorum caveri solebat. Et exta quidem, quo nomine iecur cum felle, pulmo, cor et omenta comprehendi solebant (Lucan. 1, 619. Seneca Oedip. 353.), ea de causa digna maxime, quae dis pro libamentis pollucerentur visa esse apparet, quod harum praecipue partium magnitudine forma colore fissuris deorum voluntas et rerum futurarum eventus manifestari credebantur. Cum hac ratione coniunctissimum est, quod omnia, quae in cultu et veneratione deorum versantur, sacrificia (nam piacularia alio longe iure sunt, conf. Macrob. 3, 5, 1 et 5. Serv. Aen. 4, 56.), consultatoria fuere (tab. Arv. 41[a], 24.): quia primaria semper huius disciplinae et certissima lex fuit, exta in aram porrici fas non esse, nisi quae grata et accepta dis fuisse haruspicinae artis praeceptis constaret. Cui rei egregio argumento sunt lenonis apud Plautum verba, qui post sex agnos sine litatione caesos satis iocose stomachatur Poen. 2, 1, 8: *exta vetui prosicarier, neque illa adspicere volui, quoniam non bona haruspex dixit; deam esse indignam credidi.* Plurimum autem in extispicio iocinori tribuebatur, cuius in quovis animalium genere tanta et figurae et partium varietas est, ut largissimam semper coniectantium superstitioni materiam praebuerit. Interpretandi quae esse videbatur ars duarum praecipue eius visceris partium distinctione nitebatur, unius hostilis, quae ad

hostium casus spectaret, alterius familiaris, quae ad ipsorum sacrificantium fortunam (Cic. de div. 2, §. 28 et 32. Lucan. 1, 622.). Quare Decio olim ut voluntariam mortem obiret causae satis fuit, quod caput iocinoris a familiari parte caesum adspexerat (Liv. 8, 9.). Cor quod Plinius 11, 71. §. 186. refert non semper in numero extorum fuisse, sed post Pyrrhi demum discessum inspici ab haruspicibus coeptum esse, hanc haud dubie vim habet, ut ante id tempus ne polluceri quidem solitum sit. Inspectis autem et exploratis secundum artis praecepta extis, si litatum visum esset, iam curandum erat, ut quam lautissime per religionem fieri liceret, epularum in ritum appararentur. Eius moris iusto haud dubie horridiorem imaginem Arnobius 2, 68. informavit, qui in summae hoc inconstantiae exemplis reprehendit, quod cum Romulus et Numa extis percoctis et madidis rem divinam fecerint, Servio Tullio regnante institutum sit, ut semicruda et leviter animata porricerentur. Sed is quod omnium sacrorum fuisse sibi persuasit, revera non nisi paucorum fuit: notissimum eius rei exemplum Martis sacra apud Veliternos sunt, quorum ad Octaviam gentem sacerdotium pertinebat (Suet. Oct. 1.). verum in his quod exta semicruda porriciebantur ipse Suetonius significat praeter morem volgarem fieri solitum esse, cum ideo institutum dicit, quod Octaviorum proavo, qui subito hostium incursu nuntiato exta nondum percocta festinantius prosecuerit, deorum favore res feliciter cesserit. In ipso tamen apparandi negotio quae facienda, quae praetermittenda essent variis subtilibusque definitionibus cautum erat. In universum autem cum non omnium victimarum eadem ratione exta coqui fas esset, duplici ab hac parte iure sacrificia fuisse Varro l. L. 5, 98. significat:

aut enim exta, cum aqua offusa in olla cocta essent, madida et elixa pollucebantur, quibus inde aulicociis nomen inditum (Paul. p. 23.), aut tosta in verubus et assa. Eius distinctionis quae ratio fuerit, satis in propatulo est. In illo enim genere, quod fere in maiores hostias cadit, in armenta vitulos hircos porcos et quae arvigae sollemni vocabulo appellantur (Varro l. c. §. 96. Paulus p. 100, 6.), tanta litationis cura erat, ut non simplex extispicium ad interpretationem divinae voluntatis sufficeret, sed iterata, dum intestina coquerentur, observatione opus esset; saepe enim quae initio optima, vel sine ulla mali ominis suspitione visa essent, aqua et igni admoto foedissima et inauspicatissimis indiciis referta inventa sunt. Cuiusmodi fuit prodigium Cn. Cornelio cos. factum (Liv. 41, 15.), qui cum exta bovis sescenaris in ollam integra coniecisset, aqua effusa cetera uti oportebat invenit, iecur omne inenarrabili tabe absumptum. Alterius extorum generis, quod si satis fidei habet Varronis silentium, minores hostias complectebatur, simplicior ratio erat, nam in hoc ea, quae statim post caesum animal fiebat, inspectione perlitari poterat. Absoluta utraque litatione, si ab omni parte exta dis grata acceptaque fore constaret, iam ut quam delicatissime mundissimeque lancibus imponi possent, in frusta ea concidi sive, id enim sollemne in ea re vocabulum, prosecari oportebat (Paulus p. 78, 18. Lact. ad Stat. Th. 5, 641. Suet. Oct. 1.). Ferculo quod apparatum ita esset, prosiciei (Varro ap. Non. p. 220, 18.) sive prosicio nomen erat (Paul p. 225, 15.). Idem in carmine Saliari insicium vocari, quia carnis quoque insectae aliquid extis admisceatur, Varro testis est 5, 110. cf. Macrob. 7, 8, 1. Donat. ad Eun. 2, 226. Cum igitur sacrificia, quae ad cultum specta-

rent epularum plane ritum imitari oporteret, in lustralibus et piacularibus non sine ratione institutum erat, ut tristiori paululum et subhorrido apparatu exta pollucerentur. Quod enim de lustrali censorum sacrificio ap. Serv. 8, 183. traditur, exta prosecari fas non fuisse, omnibus eius generis sacrificiis commune fuit, quorum non ea vis erat, ut lauta dape deorum numen propitiaretur, sed ut propter vicariam victimarum mortem in hominum culpa veniae locus esset.

8. De extis igitur haec haud dubie in iure pontificio lex valuit, ut sacrificiorum, quae victimis fierent, primaria et necessaria plane pars essent: in plerisque tamen sacris seorsum de mantissa cautum fuisse videtur, qua carnium etiam certae partes sollemnibus libamentis adicerentur. Cuius rei quamquam nunc fortasse haud magnum pondus videatur, a pontificibus tamen tanta religione et cura omne ius et officium constitutum est, ut in singulis membris quod frustum, quam offam dis polluceri fas esset, accuratissime sciri posset. Nam nullum omnino membrum exemptum fuisse satis luculenter Dionysius indicat porriciendi ritum describens 7, 72. p. 478: *μετὰ τοῦτο δείραντες καὶ μελίσαντες ἀπαρχὰς ἐλάμβανον ἀφ' ἑκάστου σπλάγχνου καὶ παντὸς ἄλλου μέλους, ἃς ἀλφίτοις ζέας ἀναδεύσαντες προσέφερον τοῖς θύουσιν ἐπὶ κανῶν· οἱ δ' ἐπὶ τοὺς βωμοὺς ἐπιθέντες ὑφῆπτον καὶ προσέσπενδον οἶνον κατὰ τῶν ἁγιαζομένων.* Cum quo consentit Lactant. ad Stat. Theb. 5, 641: *Particulae minutae membrorum omnium prosecta dicuntur in sacris, quae inferuntur aris.* Praeclarum autem earum sanctionum, quae in hoc ut ita dicam frustorum iure constituendo versabantur, specimen Arnobius 7, 24. et 25. servavit, qui quod non fere nisi viliorum et contemptio-

rum partium nomina apposuit, ludibrium sibi et cavillandi materiam, nobis non inutile ad cognoscendam eximiam pontificum sollicitudinem instrumentum paravit. Primum igitur ad hoc libamentorum genus cauda pertinebat cum carnis frusto globi forma exsecto, quae sollemni nomine offa penita vocabatur (Fest. p. 242[b]. cl. Paul. p. 57, 19.). In boum cauda singulare quid deliciarum fuisse videtur, siquidem et nomine peculiari palasea seu plasea vocata est et siligine et sanguine delibuta scorsum pollucebatur. De naeniis et poliminibus (Fest. p. 161[b]. 234[a].) sine rubore quaeri nequit. In ruminalibus hostiis praecipua religione infima pars gutturis erat, in qua duo capita eminent, quorum opera ruminatio efficitur. Haec parum credibile est a pontificibus uti nunc fere apud Arnobium scribitur, aerumnas appellatas esse, quae vox, quemadmodum ex volgari forma ruma (Serv. Ecl. 6, 54.) sive rumen (Paul. p. 271, 7.) praeterquam scribendi errore orta esse potuerit, difficile dictu est. Hanc igitur ipsam restituendam cum Cantero putaverim. De coxendicibus hostiarum eam partem, in cuius praecipue vi quod libere pedes moventur positum est, dis illi sacraverant, nomine a re ducto carnem strebulam nominantes (Varr. 7, 67. Fest. p. 313[a].). de hirarum quoque certa parte cautum fuisse argumento est vetustum et obsoletum fendicarum nomen, quo pontifices usos esse Arnobius testatur. Ex arvina quoque, quam in miculas concidebant, peculiare scitamentum apparari solebat, cui neque taedae, quod apud Arnobium volgo scribitur, neque taxeae, quod ex Isidoro origg. 20, 2, 24. Hildebrandus coniecit, nomen fuit.

Haec omnia, quae ad ipsius sacrificii vim plane quidem necessaria non sunt, pietatis tamen et religionis causa

adici plerumque solent, quia supplementi loco extis accedunt, augmenta vocabantur; constat enim de eius vocabuli vi luculentissimo Arnobii testimonio, qui suo more indignabundus paululum quaerit 7, 25: *quae causa, quae ratio est, ut caro strebula separatim, ruma, coda et plasea separatim, hirae solae, omentum solum augmentorum adiciantur in causam?* Pugnat cum his Varronis definitio l. L. 5, 112: *Augmentum quod ex immolata hostia desectum in iecore in porriciendo augendi causa,* ubi quod iecur appellatur aperte falsum est, viscus enim, quod primaria semper extorum pars fuit, non potuit a viro peritissimo augmenti loco nominari. quodsi quis pro *in iecore* Varronem *inicitur* scripsisse coniciat, non multum quidem ea coniectura acuminis habebit, erit tamen quod rei et sententiae satisfaciat. In earum rerum numero, quae non communi sacrificiorum iure, sed aut certorum fanorum legibus aut sacrificantium liberalitate libamentis sollemnibus adiciebantur, dubium non est magmentum quoque, quod vocatur, fuisse, de quo certius longe iudicare liceret, nisi Varroni nomen potius, quam res explicatione egere visum esset; ait enim 5, 112: *magmentum a magis, quod ad religionem magis pertinet. itaque propter hoc magmentaria fana instituta locis certis, quo id imponeretur.* Cum igitur accuratior rei definitio in coniectura posita sit, eleganter et speciose Marquardtius p. 470., qui demptis et extis et augmentis nihil iam, quod libamenti vim haberet, relictum intelligeret, magmentum suspicatus est iis rebus contineri, de quibus in vetusta aedis Furfensis lege (Orell. 2488, 9.) his verbis cavetur: *pelles coria fanei sunto.* aliarum legum scriptores sollemni vocabulo uti maluisse; in ara

Narbonensi (Orell. 2489.): *si quis hostia sacrum faxit, qui magmentum nec protollat, idcirco tamen probe factum esto.* in ara Salonina (Orell. 2490.): [quod magmentum ne]*c protollat, itcirco tamen probe factum esto.* Verum eius coniecturae tamen, si vere dicendum est, minus caute fundamenta posita sunt. Apud Arnobium enim, quamquam ne is quidem definitioni quod satis sit praebet, eo tamen loco magmentum commemoratur, ut dubium non sit, quin in libamentorum numero fuerit, 7, 24: *non carnem strebulam... non fendicas... non rumas... non magmenta, non augmina, non mille species vel farciminum vel fitillarum.* unde defensio Placidi glossae paratur p. 485. (Mai auct. class. vol. 3.): *magmentum alii pinguissimum excernere* (*extorum* Müllerus ad Fest. p. 126.), *alii secunda prosecta,* cui lemmatis loco non magmentum, sed augmentum adscriptum fuisse Marquardtius audacius suspicabatur. Iam igitur cum hoc quidem satis apertum sit magmentum in rerum, quae pollucerentur, numero fuisse, de extis autem, quae sollemnis et necessaria omnium sacrificiorum pars sunt, cogitare illud vetet, quod omisso etiam magmento sacrum recte fieri poterat, hanc solam apparet explicandi rationem relictam esse, quam H. Vossius in peritissima de iure libamentorum apud Graecos disputatione Romani quoque moris memor significavit (Mythol. Briefe vol. 2. p. 318. sq.), magmentum ab augmento nisi nomine non differre. Ac ne nominum quidem negari potest rationem simillimam esse, siquidem utroque non primaria sacrificii pars, sed mantissa tantum religionis causa adiecta significatur. Itaque acu rem tetigisse crediderim, qui apud Placidum l. c. magmentum secunda prosecta interpretati sunt.

Quamquam igitur in iure sacrificiorum magmentum nomine et re accessio tantum est, haudquaquam tamen ita cum extis coniunctum fuit, quin suam propriamque semper in pollucendi ritu vim servaverit; cuius rei luculentissimum documentum est, quod Varro l. L. 5, 112. locis certis seorsum, ab ipsis aedibus fana, in quibus magmenta ponerentur, instituta esse testatur. Quo in genere percommodo et perraro in his litteris casu accidit, ut unius saltem exempli certa et clara memoria servaretur, de quo verisimillimum est et ipsum cogitasse. Cum enim post Ciceronis reditum prodigio facto haruspices respondissent dis caelestibus propter sacra polluta postiliones esse, volgi rumore crimen ad Ciceronem referebatur, cuius in aedibus multi recordabantur vetustissimum sanctissimumque Telluris magmentarium[1]) fuisse (de har. resp. §. 31.), quod in illa non aedium tantum, sed reipublicae ruina a Clodio sublatum Cicero, cum domus eius publice restitueretur, non sine aliqua impietatis culpa oblivione et silentio interimi passus sit. Haec crimina, quorum haud dubie summa vera fuit, nunc neque purgare neque assensu prosequi in animo est, gravior enim quaestio restat de fani illius religione et origine. Fert autem hoc peculiaris magmentorum natura, quae vim tantum supplementi habet, ut etiam fana eorum libamentorum causa seorsum constituta, non plane sui iuris, sed aliquo saltem religionis vinculo certis semper aedibus delubrisve coniuncta fuerint. Magmentarium igitur Telluris Ciceronis domui adhaerens, fieri vix poterit, quin aedis Telluris, quae in area Sp. Cassii

[1]) Hanc vocem ex codicum scriptura *acmentarium* ingeniose restituit Mommsen pro eo quod antea volgabatur *armamentarium* (cf. Marquardt p. 150.).

ex voto Sempronii Sophi cos. (ann. 486. a. u.) dedicata est (Flor. 1, 14. (19.) cl. Becker p. 524.), quasi appendix fuerit. neque obstat locorum ratio; de Cassii enim area subtili Dionysii 8, 79. definitione constat: ἀνεῖται ὁ τόπος αὐτῆς (τῆς οἰκίας) αἴθριος... κατὰ τὴν ἐπὶ καρίνας φέρουσαν ὁδόν, quae recte Beckerus non ad ipsum clivom, qui Carinis occupatur, sed ad vallem e regione Palatii sub radicibus Esquiliarum patentem spectare interpretatur. Ciceronis autem domui, quam volgo sine certo argumento ei montis Palatini parti tribuunt, quae Esquilinum spectat (Becker p. 424.), hunc locum unice convenire, si quid inter utrumque Telluris fanum rationis et vinculi intercessit, certissimum est. Ne vero hoc cui mirum vel incredibile omnino videatur, eadem hostia diversis locis, quae non nimio quidem, molesto tamen sacrificantibus intervallo distarent, rem divinam factam esse: ne causa quidem, cur hoc ita institutum fuerit, admodum obscura est. Telluris enim, cuius ut sollemnes Fordicidiarum feriae ostendunt (Ovid. Fast. 4, 629. cl. Marquardt p. 311.), apud Romanos cultus et religio antiquissimi fuerunt, fanum quoque aeque vetustum in urbe fuerit necesse est. Id autem sicut ab eo loco ubi postea aedes Telluris condita est, prorsus alienum est, ita facile mihi persuaserim ab illo Palatino fano, de quo Cicero loquitur, diversum non fuisse. Quod cum per aliquot saecula solum haud dubie summaque sanctitate praeditum eius deae fanum fuisset, postea luculenta aede in area Cassii aedificata, ut fere fit, minori paulatim hominum studio et veneratione coli coeptum est, postremo cum sollemnia sacrificia ad aedem omnia transferri placuisset, magmentarii tantum locum obtinuit. Ex his elucet fere quantum a pontificibus diligentiae et curae

adhibitum sit, ut qui religiose pieque rem divinam facere vellet, facili opera tripertitam illam rationem servare posset, qua seorsum quid extis, quid magmento, quid denique profanationis nomine volgo cederet, definiebatur. Verum non solum quae pollucenda dis essent, sed qua ratione ea omnia componi coqui condiri oporteret, scitu opus esse pontifices sibi persuaserant. Usitatissimum autem et religiosissimum cibi genus in epulis deorum farcimina semper fuerunt ex variis extorum et carnium frustis confecta. qua in re cautum praecipue fuisse videtur, ut unumquodque intestinum iis prosiciis, quibus fas esset, farciretur. Fartum tenuissimo intestino ingestum, eius ipsius nomine hilum vocabatur (Varro l. L. 5, 111.). Pulmonum, ut indicat Arnobius 7, 24., apexabo et longavo proprii sunt, quorum ille a tubere, quod in extrema parte eminet (Varro l. c.), nomen traxit, hunc longiorem, quam duo hila esse oportebat. Silicernium denique, ut ait Verrius ap. Fest. p. 294[a]. farcimen est, quo fletu familia purgabatur, quod utrum dis Manibus defuncti polluctum, an ab iis, qui sacrum facerent, consumptum sit, quoniam eodem nomine coena funebris significatur (Varro ap. Non. p. 48, 10. Donat. ad Adelph. 4, 2, 48.), certo definiri nequit.

## IV. DE CRIMINUM EXPIATIONE, DE SUPPLICIIS ET CAPITIS CONSECRATIONE.

1. Legum et institutorum populi Romani, quae in criminibus coercendis versabantur, omnis propago e duabus quasi stirpibus coaluit, quarum altera in feroces magis naturae humanae affectus, ultionem et vindictae studium, radices egit, alteram e iustitiae potius cura et pio quodam

propter laesum deorum numen dolore natam dixeris. Et vindictae quidem legitimam iuris speciem nactae haud obscure acerbitatem immite spirat XII. tabularum carmen (Fest. p. 363[a].): *si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto,* quodque iure caesi et adulter et raptor videbantur. Furem denique manifestum quod lex ei, cui factum furtum esset, addici iubebat (Gell. 11, 18, 8.), rectissime quosdam veteris dedendi noxios moris admonuit, quo iam Remum ad supplicium Numitori traditum fabularum auctores finxerunt (Liv. 1, 5. cl. Abegg Unters. üb. Straf. R. p. 147.). Sed religionum cultu paulatim animis infuso, cum humanae vitae ordinem et instituta non casu vel hominum arbitratu, sed divini numinis consilio et sanctione condita esse intellectum esset, qui noxam commisisset non tantum hominem sui similem, sed ipsum fas ipsosque Deos, gravissimos scelerum vindices, laesisse videbatur. Commota vero semel deorum ira ne latius vagaretur et cum sonte insontes quoque opprimeret, sollemnibus precationibus et vario pontificiae artis apparatu opus erat, quibus quod turbatum esset, rite iusteque sanaretur, et ipsa poena non tam ultionis, quam expiationis vim acciperet. Cum igitur pontifices singulari semper cum cura omnem hanc, quae cum suppliciorum iure apud Romanos coniunctissima fuit, religionem et sollicitudinem moderarentur, tamen iudicum unquam in causis publicis iis partes fuisse certis argumentis probari nequit. Nam ex Dionysii 2, 73. verbis: *καὶ γὰρ δικάζουσιν οὗτοι τὰς ἱερὰς δίκας ἁπάσας ἰδιώταις τε καὶ ἄρχουσι καὶ λειτουργοῖς θεῶν* cavendum est, ne pontifices quaestionum de religionibus violatis iudices nobis fingamus, quos ex collegii auctoritate decreta tantum, quibus iudices libere ute-

rentur, interposuisse constat. Singularis enim virginum Vestalium causa erat, de quibus pontifex maximus patria, ut videtur, potestate praeditus cognoscebat, quod mancipatae quasi Vestae numini erant (Marquardt p. 245.). Quaestores parricidii e pontificum numero creatos esse, nimia quadam de eo collegio opinione sibi persuaserat Puchta Inst. 1. §. 42v.; consilio tamen regum, quod Plutarchus significat Rom. 20: τοῖς ἐπὶ τῶν φονικῶν καθεστῶσι, iuris divini peritos interfuisse maxime probabile est. Cum igitur eodem scelere, quo maleficium commissum esset, venerabilis illa, quae in rebus humanis versatur, divini consilii et ordinis imago quasi labe polluta videretur, quae nisi quid in religionibus auxilii esset, dilui non posset, tres praecipue ad iram deorum averruncandam rationes constitutae sunt, aut enim caerimoniis et piaculo oblatis culpae venia impetrari poterat, aut more maiorum criminis auctor supplicio mactandus erat, aut denique capite impio consecrato dis ipsis vindicta permittebatur.

Quamquam igitur is, quem constaret nulla sua voluntate, sed imprudentem crimine se obstrinxisse, poena quidem, quae animi scelus et dolum ulcisceretur, plane liber erat, tantum tamen in ipso maleficio invidiae et odii erat, ut donec piaculo purgatus esset, impius videretur, nam impios Servius Aen. 1, 378. vocari ait, 'qui purgati non sint.' Ut autem ex infucata et ingenua animi simplicitate omnem illam pietatem ortam cognoscas: ne tum quidem, cum res institueretur quae criminis nihil, modo dubitationis aliquid, ne quis deorum offenderetur, haberet, piaculo supersederi poterat; lucum igitur conlucandi vel terram fodiendi, si pie quis agere vellet, porco immolato venia a dis petenda erat (Cato r. r. 139.). Eorum quoque, qui

sine culpa religiones feriarum vel sacrificiorum violassent, pontifices benigne delicta procurabant; cuius generis sunt interruptae caerimoniae (Serv. 8, 110.), sacrum commissum, de quo Cic. de legg. 2, §. 21. posuisse videtur, quod erat in iure pontificio: *sacrum commissum* (cf. Fest. p. 344[b]), *quod neque expiari poterit, impie commissum esto; quod expiari poterit, publici sacerdotes expianto.* Praetoris error, qui tria verba nefasto die imprudens fatus esset, hostia piaculari facile piari poterat, si prudens dixisset, Q. Mucius, ut ait Varro l. L. 6, 30. (cl. Macrob. 1, 16, 10.), ambigebat, eum expiari ut impium non posse. Quam autem, si quis venia negata impietatis absolutus non esset, hoc illi grave et molestum acciderit, facile conicias e Paulo p. 126: *Maximus pontifex dicitur, quod maximus rerum, quae ad sacra et religiones pertinent iudex sit vindexque contumaciae privatorum magistratuumque,* quibus sacrorum interdictionem significare videtur, quam impiorum hominum poenam fuisse Cicero ostendit de legg. 2. §. 22: *impius ne audeto placare donis iram deorum* (cf. Danz der sacrale Schutz p. 81. 97.). Quamquam autem nulla re magis, quam hominis liberi caede sancta iuris divini auctoritas laedi videbatur, sic tamen prisci homines sibi persuaserant, si modo dolo ea res caruisset, non tam supplicio hominis infelicis, quam misericordia deos immortales delectari, praesertim cum nonnihil mitigationis in ipsa purgandi suppellectile et caerimoniis insit, nam, ut ait Ovid. Fast. 2, 35. (Lobeck. Agl. p. 967.) *omne nefas omnemque mali purgamina causam credebant nostri tollere posse senes.* Vetustissimis autem temporibus culpae haud magis, quam casui poena constituta erat (Cic. topic. §. 64.), solus qui dolo

egisset, supplicium meruisse videbatur. Quodsi quis cum lacessitus esset aut iusto dolore aut impetu quodam animi commotus auctorem iniuriae interemisset venia data expiabatur. In Numae igitur legibus, ut ait Serv. Ecl. 4, 43., cautum erat, *ut si quis imprudens occidisset hominem, pro capite occisi acnatis* (*et natis* codd. em. Huschke anal. p. 375. cl. Rubino Untersuch. üb. R. Verf. p. 465.) *in contione* (*cautione* codd. em. Scal.) *offerret arietem.* Imprudentiae autem locus erat, ut lex ipsa (Cic. top. §. 64.) interpretabatur, *si telum magis fugit manu, quam iecit.* Et arietem quidem illum, qui *subici* vel *subigi* (Fest. p. 351 [a].) sollemni vocabulo dicebatur, si L. Cincius pro piaculari hostia habuit, ut Fest. p. 347 [b]. significare videtur, haud dubie erravit, cum potius testis relictus sit vetustissimi moris, quo eius, qui vi interemptus esset, agnati tanquam pietatis aliquod et amoris officium, ultionem et caedem interfectoris prosequebantur et nulla re sanctius, quam sanguine inimici parentari posse putarent. Caesa igitur victima cum vindictae quasi furiis satisfactum esset, iam expiationis et caerimoniarum cura sequebatur, qua deorum pax et voluntas reo reconciliaretur. Vetustissimae in hoc genere memoriae causa Horatiana est, miro fictionis artificio nobilis, quo fabularum involucris subtilissimae vetusti iuris distinctiones obteguntur, de quarum ambagibus accurate Koestlinus die Perduellio p. 66. exposuit. Fit parricida perduellionis reus quod in mulierem oblitam sui et infensam patriae, arrepta regis persona, suo arbitrio animadvertere ausus sit; nam minus aliquantum in parricidio culpae videbatur, quod animo ille gloria et dolore graviter perturbato commisisset. Absoluto per populum reo pater caerimoniarum (Fest. p. 297 [a].) remedia

adhibuit eumque sine sacerdotum publicorum interventu (Liv. 1, 26.) expiavit. Sed ipsa pontificum disciplina, quae certas omnibus rebus normas sedulo quaereret, sollemni et summa religione praedito expiandi ritu haudquaquam caruit. Nam ut nunc piaculares hostias mittamus, de quibus supra abunde dictum est, extat locorum quorundam memoria, ubi graviora facinora, in quibus quod dolo caruissent veniae locus esset, publice expiata videntur. In his lucum capitalem non recte posuit Muellerus ad Fest. p. 404[b]. Paulus enim quod dicit p. 66: *capitalis lucus ubi si quid violatum est, caput violatoris expiatur* rectius Rudorffius Grom. Inst. p. 243. de luco interpretatur ea lege consecrato, ut si quis ligna ibi cecidisset animali eum hostia (Macrob. 3, 1, 5.) piaculum facere oporteret. Notae sunt doctorum hominum, qui chorographicas urbis antiquitates investigarunt, ariolationes de porta piaculari, quae ut est ap. Fest. p. 213[a]. *appellatur propter aliqua piacula, quae ibi fiebant, vel, ut ait Cloatius, quod cum respublica facto per aliquem piaculo solvitur, ibi aliqua piandi propitiandique causa immolantur.* Sed frustra esse, qui Plutarchum de iisdem sacris eademque porta narrare coniecerint, Rom. 24: *οὓς (καθαρμοὺς), ἔτι νῦν ἱστοροῦσιν ἐπὶ τῆς Φερεντίνης πύλης συντελεῖσθαι,* optime demonstrat Beckerus p. 177. cum *Φερεντίνης* potius *ὕλης* ex Douiatii coniectura scribendum sit. Deinde caerimoniarum quoque, quarum eximia sanctitate vel gravissima crimina dilui potuerint, etsi plena et iusta imago in tanta litterariae suppellectilis iactura adumbrari nequit, pellucent tamen vestigia quaedam ex incertis Verrianae disputationis apud Fest. p. 289[b]. reliquiis, quarum rectissime Muellerus p. 404. et sententiam

et utilitatem perspexit. Distinctis enim, quae antea continuabantur duabus diversarum rerum explicationibus, quarum priore auguralis formula, qua respici avis dicatur, altera expiationum ritus definiantur, hunc in modum suppletis lacunis totius loci faciem constituit: *Respici avis* [tum dicitur, cum peracto sacri]*ficio quasi finis imp*[etratus est.|| Reo absoluto post] *comitia perfecta sum*[tis verbenis ac combustis sacer]*dotes suo more aliisque* [peractis propter religio]*nem luci, in quo sacra fa*[ciebant reo a ca]*latoribus ingeniculato* [atque deos obtestanti] *vinum in caput infun*[debant sollemni cum pre]*catione.* Sunt haec etsi non certa aptissime tamen ad rem excogitata; lucum certe aliquem fuisse sollemnibus expiationum caerimoniis destinatum, etiamsi alius haud dubie capitalis fuit, minime improbabiliter a Muellero coniectum est.

2. Eorum hominum, qui nefario et impio consilio atrox scelus commiserunt, nequitiam summo supplicio punire quamquam non ius solum, sed necessarium prope omnium civitatium praesidium sit: tamen prisci Romani vitam vel nocentissimi civis tantam semper tamque sanctam rem esse putarunt, ut nisi insigni cum verecundia et sollicitudine illo iure non uterentur. Ne autem populo quoties reum condemnari oporteret, dum crimen suis suffragiis ulciscitur, ipsi criminis aliquid contraheretur, varii purgationum ritus et tristium ominum remedia a iuris divini peritis inventa sunt. Primum igitur cautum erat, ne qui de capite causam diceret, diras populo imprecaretur, neve deos testes invocando religione omne iudicium obstringeret: nam obsecrare conantem statim resecrare magistratus iubebat, cuius moris luculentissimum testem haberemus

Festum, nisi in docta eius disputatione ingens codicis Farnesiani volnus dubitationi locum dedisset. Et summam quidem eorum, quae uberius Festus exposuerat, paucis comprehendit Paulus p. 280: *resecrare, resolvere religione, utique cum reus populum comitiis oraverat per deos, ut eo periculo liberaretur, iubebat magistratus eum resecrare*, quae si resecrationis haec vis fuit, ut (id quod Muellero ad Fest. p. 404$^b$. placuit) reus populo caveret, simplicissima sunt explicatu: verum longe diversam et oppositam quodammodo interpretationem speciosa nuper argumentatione commendare studuit Danz der sacrale Schutz p. 82—88., qui eos, quos propter inexpiabile crimen pontifices execrati essent et sacrorum communione exclusissent, quam detestationem sacrorum fuisse ille p. 93. interpretatur, interdum populo se purgare et venia impetrata reditum ad sacra et coetus civium nancisci potuisse sibi persuasit; populum igitur — id quod Pauli Festique disputatione appareat — eos resecrare solitum esse, quos execrationis religione et impietatis crimine absolvere vellet. Sed tantum abest, ut praesidii aliquid ex Pauli verbis huic sententiae paratum sit, ut singula fere verba si accuratius examinentur, repugnent. Primum enim qui sollemni execrationis carmine (Danz p. 89.) infamati essent, denuo causam apud populum dixisse vel reos omnino recte vocari potuisse minime probabile est. Deinde ne hoc quidem, quo iure magistratus quae a populo sciscí oportebat, non rogare, sed iubere dici potuerit video. Postremo vero in eius, qui reus esset, personam cum obsecrationem tum resecrationem cadere dubitare non sinit Fronto, qui p. 149. ed. Mai. Rom. 1823. rectum vocabuli usum ita definit: *deos si fas est ob-*

*secro, addidisti; quod ego non memini me legisse; obsecrari enim et resecrari populus et iudices solebant.* Iam vero si ad ipsum fontem, unde exiguo tantum haustu, uti solet, Paulus bibit, accedimus, rectissime quidem Festi sententiam iam Valesius ad Ammian. Marc. 24, 6, 17. p. 81. sq. Wagner explicuit, a quo Muellerus ad Fest. p. 404. non discedit. Universae autem disputationis, quae longiuscula fuit, redintegratio in tanta vestigiorum paucitate incertissima est. Tribus igitur primis, quibus Pauli supplementa editores adhibuere, quinque tantum vel sex versus non nimia audacia restitutos adicere ausim p. 281[b]: *resecrare resol*[vere religione . . . uti cum] *reus populum co*[mitiis oraverat per deos] *ut eo periculo li*[beraretur, iubebat magi]*stratus eum resec*[rare, quod ut cives religione] *se liberarent inst*[itutum est, nam si reus sine culpa] *innocensque esset, cau*[tio haec interposita] *est, ne iidem interim*[erentur, qui in insontem] *animadverti sta*[tuissent.] Mirae igitur simplicitatis remedio populus Romanus incolumitatem sibi parasse videbatur, si forte, cum error in omnes res humanas cadat, civem innocentem imprudens condemnasset. Sed vel in iustissima puniendi causa verendum semper fuit, ne propter ipsius iudicii tristitiam et acerbitatem, qua hominem liberum hac luce communi et vita privasset, piaculi aliquid populus contraxisset, neu mentibus civium manibusque pollutis deorum sacra rite casteque procurari non possent. Cuius verecundiae egregium documentum Ser. Sulpicio M'. Tullio coss. (254. a. u.) senatus dedit, ap. Dionys. 5, 57. Coniuratos enim, qui patriam Tarquiniis tradere, libertatem tollere, optimum quemque caede mactare nefario consilio constituissent, cum Sulpicii sollerti vigi-

lantia in aperto scelere deprehensos iustissimo supplicio senatus populusque omnes interimendos censuisset, tristem sententiam senatus summa cum religione expiandam deosque sacrificiis, ludis feriis placandos censuit, *ὅτι πολιτικοῦ φόνου γνώμας ἠναγκάσθησαν ἀποδεῖξασθαι, ὡς οὐ θεμιτὸν αὐτοῖς ἐφ' ἱερὰ παρεῖναι καὶ θυσιῶν κατάρχεσθαι πρὶν ἀφοσιώσασθαι τὸ μίασμα.* Haec tum quod in tot capita ultio grassata erat, maiore cum apparatu expiata sunt: sed optime accidit, quod unius quidem, sed probatissimi scriptoris testimonio legem fuisse scimus, qua sanctum erat, ut, si populus morte aliquem multari iussisset, piaculo semper opus esset. Sinnius enim Capito, cuius et nomen et verba Scaliger egregie restituit ap. Festum p. 309[b]: [ait, cum ci]*vis necaretur i*[nstitutum fuisse, ut] *Semoniae res s*[acra fieret verve]*ce bidente,* [ut eo sacrificio poe]*na solutis c*[ivibus caput ipsum dam]*nati patrim*[oniumque cui deo deberetur] *id fieret sa*[crum atque inde fuisse] *solitum, ut* [quia tunc in publicum suppli]*candi causa* [prodiret rex sacro]*rum, ut id vo*-[caretur supplicium.]. Et Semoniae quidem, quae a seminibus, quorum simul cum Seia et Segesta tutelam gerit (Preller p. 591.), nomen accepit, in tanti discriminis re et ad averruncandam supplicii invidiam numen invocari nemo mirabitur, qui arvorum sationumque deos cum deorum Manium cultu coniunctissimos semper fuisse reputaverit; eademque de causa, ut narrat Paulus p. 223. ab eo, qui mortuo iusta non fecisset, priusquam novas fruges gustaret, porca praecidanea Cereri mactabatur. Tribus autem illis deabus, quae nomine et officio maxime sibi cognatae sunt, haud fere quicquam antiquius sanctiusve Romae fuit. Simulacra earum in Circo videri Plinius 18, 2. §. 8. scribit,

Semoniae vero ne nomen quidem sub tecto eloqui fas esse. Quod autem rex sacrorum in publico supplicare dicitur, id si recte ad vetustorum regum tempora referre licet, magno argumento erit, in causis capitalibus supremo loco populum semper iudicasse, nec satis iusta de causa Rubinonem Unters. p. 473. luculenta Ciceronis verba de solis perduellionis quaestionibus dicta putare de rep. 2, 31. §. 54: *provocationem autem etiam a regibus fuisse declarant pontificii libri, significant nostri etiam augurales.* cf. Seneca ep. 108.

Cum autem in omni scelere duplici delicto peccetur: primum in homine vel re, quae laeditur, deinde deorum immortalium offensione, quorum tutela et auctoritate quicquid inter homines iuris et legum est nititur et fovetur, quo illud magis in castigatione et supplicio constituendo spectatur, eo vindictae similior poena erit; sin numini potius deorum violatoris ultio deberi videbitur: tum si quid tristius statuendum sit, erit hoc pietatis potius, quam severitatis. Et apud Romanos quidem, quorum semper nimium quendam naturalis roboris et vigoris impetum egregia religionum et deorum verecundia refrenavit, quamquam in domestico et militari imperio violentius fuit et praesentius ulciscendi ius, tamen omnes reos, qui populi iudicio capitis damnati essent, vetustissimis temporibus deorum alicui deditos et hostiarum in modum immolatos esse haud ambiguis argumentis probari potest. Erat enim haec veterum hominum opinio, omne quidem ius fasque in omnium deorum fidem ac patrocinium traditum esse, singulari tamen cum cura hanc vel illam vitae humanae quasi provinciam unumquemque maiestate sua tutari et ab iniuria vindicare. Quod igitur olim omnibus suppliciis commune

fuit, ut deorum nomine a sontibus exigerentur, certissimo testimonio de eius, qui fruges noctu depopulatus sit, poena Plinius 18, 3. §. 12. affirmat: *frugem quidem aratro quaesitam furtim noctu pavisse ac secuisse puberi XII. tabulis capital erat, suspensumque Cereri necari iubebant, gravius quam in homicidio convictum: impubem praetoris arbitratu verberari, noxiamve duplionemve decerni.* In quo loco explicando — id quod tot doctorum hominum pace dixerim — omnes propemodum, qui diligentius accuratiusque iuris puniendi apud Romanos historiam et antiquitates enarravere, miro sane consensu graviter errarunt; velut quos reliqui fere sequuntur Abegg de antiquissimo Rom. iure crim. (Regimont. 1823.) p. 46. et Rubino Unters. p. 476. cl. p. 413.; quod enim Plinius eum, qui in agro furatus sit, suspensum Cereri necatumque dicit, idem illi poenae genus significari statuerunt, quod in legum sacratarum sanctione adici soleat, qua caput eius, qui contra fecerit consecratur. unde locus Plinianus argumenti illis vim habere visus est, quasi in homines sacros post consecrationem capitali poena magistratus publice animadverterint. Quam sententiam volgaris fere opinio secuta est (Koestlin die Perd. p. 132.). Verum labantur haec ipsis principiis. Nam hominum sacrorum supplicio rempublicam semper abstinuisse, eius generis argumento docemur, cui plurimum ubique tribui solet: ipsius rei, quae vetusti et cordati scriptoris fide nititur, definitione. Tradit enim Festus p. 318[b]: *at homo sacer is est, quem populus iudicavit ob maleficium, neque fas est eum immolari, sed qui occidit, parricidi non damnatur.* Quodsi eorum, qui stricto loquendi usu sacri vocantur, supplicium publica auctoritate nullum

fuit, sequitur eum, qui furtivam messem noctu collegisset, non quo sacer fuerit, sed propter ipsius sceleris magnitudinem immolari Cereri oportuisse. Nam cum omnis iuris humani principia et fundamenta deorum religione nitantur, nec quisquam illa violare possit, quin in hac simul peccet, hoc potissimum veteres homines suppliciorum et poenarum remediis agi intellexerunt, ut di immortales addicto sibi quasi reo ius suum consequerentur. Supplicium igitur re et nomine placatio est: quemadmodum enim supplicia vocabant caduceatorum, qui pacem ab hostibus quaererent, verbenas (Fest. p. 309b.), vel sacrificia, quibus deorum voluntas conciliaretur (Sall. Cat. 9.): ita piacula, quibus abalienatam reconciliarent, praesertim cum rei atrocitas sanctiore vocabulo velanda esset, eodem nomine aptissime vocata sunt. Cum igitur hostiae loco reus esset, non magis oratoria translatione, quam sollemni iuris divini formula uti videtur Cicero cum de rep. 2, 35. §. 60. Sp. Cassium a patre morte mactatum esse itemque Catilinam (Cat. 1, §. 27.) summo supplicio mactari oportuisse dicit, quamquam paulatim eius rei memoriam ex animis hominum evanuisse satis apparet ex Cic. p. Fontei. §. 31. Vetusta autem suppliciorum genera non simpliciter poenarum, sed rituum et expiandi caerimoniarum vim habuisse, facile apparet ex ipsorum varietate, quae in tanta antiquorum hominum rerumque simplicitate non potest non permagna videri; nam quod Servius 6, 615. prisco more Romano singulis sceleribus statuta fuisse supplicia dicit, hoc ita factum esse opinor, non quo omnia cruciatuum tormentorumque exempla crudeli quadam cura et subtilitate adumbrarentur, sed quod in aliis criminum generibus alia ultionis et piaculi religione opus erat. Et securi quidem

reos percutere iam vetustissimis temporibus maxime usitatum fuisse videtur, si Dionysio 2, 29. fides, qui Romulum sibi fingit satis sane superbe magnificeque in foro sedentem, lictoribusque stipatum, *οἳ τοὺς μὲν ἄξια μαστίγων δεδρακότας ἔξαινον ἐν ἀγορᾷ, τῶν δὲ τὰ μέγιστα ἠδικηκότων τοὺς τραχήλους ἀπέκοπτον ἐν τῷ φανερῷ.* neque ullum suppliciorum genus magis, quam hoc immolationis vel sacrificii speciem praebuit, ut certe Floro visum est 2, 5: *nec gladio quidem, sed ut victimas securi percussit,* et Valerio Max. 2, 7, 6: *abripi a lictore et in modum hostiae mactari.* Reos qui suspendio necarentur dis iratis in supplicium traditos esse, ostendit horrendi carminis formula ap. Liv. 1, 26 (cl. Cic. p. Rab. perd. r. §. 13.): *si vincent, caput obnubito, infelici arbori reste suspendito, verberato vel intra pomoerium vel extra pomoerium,* nec quorum hoc piaculo deorum ira placetur obscurum esse potest recordantibus, quid in ostentario arborario Tarquitius Priscus tradat ap. Macrob. 3, 20, 3: *arbores, quae inferum deorum avertentiumque in tutela sunt, eas infelices nominant: alternum sanguinem filicem, ficum atram, quaeque bacam nigram nigrosque fructus ferunt, itemque acrifolium, pirum silvaticum, pruscum rubum sentesque, quibus portenta prodigiaque mala comburi iubere oportet.* Poenam parricidarum eximiae superstitionis aliquid habuisse ex ipsa ingeniosa meditataque crudelitate suspicari licet; vix enim fieri potuit quin Divis parentum parricida necandus fuerit, quibus eius, qui verbere patrem tetigisset, caput consecratum esset (Fest. p. 230[b].). Quod autem volgari fama (Dionys. 4, 62. Val. Max. 1, 1, 13.) Tarquinius Superbus primus M. Tullium librorum Sibyllinorum

custodem, propter prodita sacrorum arcana illo supplicio interemisse dicitur, eo minus habet fidei, quod XII. tabularum auctores probabilius est vetustum morem, quam singularem tyranni crudelitatem secutos esse, qui de parricidio hanc legem tulerint Auct. ad Herenn. 1, §. 23: *qui parentem necasse iudicatus erit, ut is obvolutus et obligatus corio devehatur in profluentem.* Omnium vero minime immolationis vel omnino religionis simile id supplicii genus videtur, quod sollemni formula *more maiorum* exigi dicebatur: Suetonio enim teste (Nero 49.) ii, quibus sic pereundum esset, cervice furcae inserta ad necem usque caedebantur. Sed hoc quoque deorum irae quasi exemplum fuisse, inde cognoscitur, quod uni certe crimini ea poena statuta fuit, cuius neminem verisimile est condemnatum esse, quin sanctissimae castissimaeque deae tanquam debita victima mactatus sit: is enim, qui cum virgine Vestali stuprum fecisset a pontifice maximo in comitio continuatis verberibus Vestae necabatur (Liv. 22, 57. Dionys. 8, 89. 9, 40.).

3. Duplex omnino si quis capitalem noxam admisisset, in vetustissimo iure Romano puniendi ratio fuit, aut enim nomine quidem et auctoritate deorum, vi autem et imperio populi Romani supplicium exigi mos erat, aut capite rei bonisque consecratis, dis immortalibus ipsis, quemque ii privatum instinctu vel dolore excitassent, poena permittebatur. Hinc sanctionum quoque, quae cum poenae comminatione omnibus legibus 'novissime', ut ait Papinianus dig. XLVIII. 19, 41., adscribi solebant, duo fuisse genera videmus: alterum simpliciter capitis supplicium denuntians, alterum, quo eius, qui contra fecisset, persona sollemni formula 'sacer esto' consecrabatur. Inter quae quantum

intersit optime illustratur lege et plebiscito post X. viros exactos latis, quibus eadem res diversis confirmabatur sanctionibus. M. enim Horatius L. Valerius coss., ut narrat Liv. 3, 55. *legem consularem de provocatione . . . decemvirali potestate eversam non restituunt modo, sed etiam in posterum muniunt sanciendo novam legem, ne quis ullum magistratum sine provocatione crearet; qui creasset, eum ius fasque esset occidi, neve ea caedes capitalis noxae haberetur.* Sacrum autem hominem cum ius quidem fasque esset occidi, necesse non esset, M. Duellius tr. pl., certius haud dubie supplicii genus desiderans, *plebem rogavit plebesque scivit: qui plebem sine tribunis reliquisset, quique magistratum sine provocatione creasset tergo ac capite puniretur;* quamquam aliam, eamque ut Niebuhrio 2. p. 417. visum est, probabiliorem in poena definienda narrationem, Diodorus secutus est 12, 25: *ἐν δὲ ταῖς ὁμολογίαις προσέκειτο τοῖς ἄρξασι δημάρχοις τὸν ἐνιαυτὸν ἀντικαθιστάναι τοὺς ἴσους ἢ τοῦτο μὴ πράξαντας ζῶντας κατακαυθῆναι.* Cum autem omnium praeter imperfectas legum, tam quae de criminibus, quam quae de iure civili praeciperent, haec communis ratio esset, ut sanctae et essent et vocarentur (Serv. 8, 382. 11, 158.): sacratarum propter superstitiosam ultionis divinae opinionem haud ita magnum numerum fuisse crediderim, quamquam quibusdam hominibus doctis, velut Brissonio de formul. l. 2. c. 20. et Sanioni obss. ad leg. Corn. de sicar. p. 61., latissime hoc genus patere visum est. Ex Festo autem p. 318[b]. iuris divini peritos duo sacratarum legum genera distinxisse apparet: *sacratae leges sunt quibus sanctum est, qui quid adversus eas fecerit, sacer*

*alicui deorum sit cum familia pecuniaque. Sunt, qui esse dicant sacratas, quas plebes iurata in monte sacro sciverit.* Primum igitur e legibus regiis hoc nomine appellabantur, de quibus vetusto illo et horridulo puniendi genere, cui plurimum religionis et terroris divini inesset, cautum erat, quarum exiguam memoriam, etsi saepius iam indicatam, velut ab Abeggio de ant. Rom. iur. cr. p. 44., sine incommodo hoc loco comprehendere licebit. Et Romuli quidem de fide clientibus servanda haec lex ferebatur: *patronus, qui clienti fraudem fecerit, sacer esto;* quam ex XII. tabulis Servius 6, 609., e iure Papiriano Dionysius 2, 10. petiit, qui prolixiore disputatione sanctionis formulam enarravit. Termini religionem Numae lex sacrata firmabat, ap. Paul. p. 368. (cf. Dionys. 2, 74.), *eum qui terminum exarasset et ipsum et boves sacros esse.* Idem de re nescio qua, sic sanxerat (Paul. p. 6.): *si quisquam aliuta faxit, ipsos Iovi sacer esto.* Servius denique Tullius parentum offensionibus deos ultores obtestatus est, Fest. p. 230[b]: *si parentem puer verberit, ast olle plorassit, puer divis parentum sacer esto.* Solet fere huic indiculo lex adici XII. tabularum, qua is, qui fruges alienas noctu secuisset, Cereri suspendi necarique iubebatur (Plin. 18, 3. §. 12.), sed supplicium, quod populi imperio a magistratibus sumeretur, ab hoc legum sacratarum recensu alienissimum esse, supra demonstratum est. At aliam pro hac legem substituere licebit e Plutarchi Romulo 22., uxorum sane, quae in manum convenissent, egregium contra virorum iniurias praesidium, quas nisi gravissimis quibusdam in causis non licebat repudiare, *τὸν δ' ἀποδόμενον γυναῖκα θύεσθαι χθονίοις θεοῖς,* quae mire

Dirksenus Versuche zur Krit. u. Ausl. p. 299. interpretatur: 'qui repudiasset uxorem deos Manes placaret', cum non possint non significare, quod volt Niebuhrius 1. p. 590: eius qui uxorem vendidisset, caput dis inferis sacrum sanciri. conf. Rein Roem. Privat. R. p. 448. Quod autem *θύεσθαι* dicit Plutarchus non iustam immolationem, sed fortuitum illud, quod cadit in homines sacros, supplicii genus intelligit, de quo simillime Dionysius 2, 10. ait *τὸν δὲ ἁλόντα τῷ βουλομένῳ κτείνειν ὅσιον ἦν ὡς θῦμα τοῦ καταχθονίου Διός*. Quod igitur his legibus sanctissima quaedam iura non communi magistratuum curae, sed dis ipsis ultoribus tutanda et vindicanda traduntur, eius rei hanc fuisse causam Rubino p. 412. et 476. arbitratur, quod criminum illorum ratio remotior ab hominum cognitione fuerit, ut vel ipsa culpa, vel auctor facili fraude celari potuerit: quamobrem consecrationis formulam non ad poenae denuntiationem, sed ea praecipue opinione adici, quasi fieri non possit, quin aut di ipsi in sontes animadvertant, aut ad iudicium eos et ultionem protrahant. Sed consecrationem non tam ad eruendum crimen, quam ad erutum pertinuisse, argumento est quod eorum, qui iudicati essent, capita bonaque sacrabantur: *εἴ τις ἐλεγχθείη... τὸν δὲ ἁλόντα,* ut est ap. Dionys. 2, 10. Quamquam enim omnium legum di immortales custodes omniumque criminum ultores pia et avita populi Romani opinione credebantur, erant tamen quaedam sanctioris iuris officia, quae priscarum legum latores peculiari quadam religione firmata et, si fas est dicere, dis quasi domestico imperio coercenda tradita vellent. Eo vero praecipue patronorum fides et voluntas, liberorum erga parentes verecundia, coniugum mutuum officium, immota denique termini, qui ne Iovi

quidem Capitolino cessisset, religio pertinebat: quae cum pietate magis, quam iure niterentur, laesa autem nequitiam potius, quam scelus proderent, populus Romanus, qua erat insigni semper verecundia et pudore, deorum irae, haud vanae sane futurae, omne hoc suppliciorum genus permisisse videtur.

4. Iam videndum est de altero legum sacratarum genere, quo reipublicae salus et communis civium libertas quasi muro aliquo saepta, a nefariis tanquam patriae parricidarum conatibus ultionis divinae imprecatione et armato hominum dolore defendebantur. Et vix quidem natae Romanae libertatis initia, quo magis inimicorum vel apertis vel clandestinis insidiis obnoxia erant, eo graviori in puniendis iniuriis et vi et severitate opus fuit. P. igitur Valerius Publicola duabus sacratis legibus velut ancoris salutis et incolumitatis rempublicam firmavit, altera de provocatione, Dionys. 5, 19: *ἐξεῖναι τῷ ἰδιώτῃ προκαλεῖσθαι τὴν ἀρχὴν ἐπὶ τὴν τοῦ δήμου κρίσιν* et idem 5, 70: *νόμος . . . τὸν παρὰ ταῦτά τι ἐπιχειροῦντα νηποινὶ τεθνᾶναι κελεύων.* Altera sanciebatur, ut eius, qui regni occupandi consilia inisset, caput bonaque sacra essent (Liv. 2, 8. Dionys. 5, 19.). Erat autem in legibus sacratis eo semper validissimum et praesentissimum adversus inopinata reipublicae pericula praesidium, quod non modo reum iudicatum unicuique occidere fas erat, sed is quoque, qui propter scelus adversus rempublicam temptatum in ipso conatu sine iudicio interemptus esset, si modo is, qui occidisset, causam et suspitionem probare iudicibus posset, iure caesus iudicabatur; quo P. Valerii legem tendere optime vidit Plutarchus Publ. 12. *ἔγραψε γὰρ νόμον ἄνευ κρίσεως κτεῖναι διδόντα τὸν βουλόμενον τυραν-*

*νεῖν· κτείναντα δὲ φόνου καθαρὸν ἐποίησεν, εἰ παράσχοιτο τοῦ ἀδικήματος τοὺς ἐλέγχους. Ἐπεὶ γὰρ οὐ δυνατὸν ἐπιχειροῦντα τηλικούτοις λαθεῖν ἅπαντας, οὐκ ἀδύνατον δὲ τὸ μὴ λαθόντα τοῦ κριθῆναι φθάσαι κρείττονα γενόμενον, ἣν ἀναιρεῖ τὸ ἀδίκημα κρίσιν προλαβεῖν ἔδωκε τῷ δυναμένῳ κατὰ τοῦ ἀδικοῦντος.* Paucis annis post plebei quoque Romanae libertatis dies illuxit tribunicia potestate instituta, quam sacrosanctam et adversus omne iniurias tutam sanctissimis religionum vinculis et legum iureiurando firmatarum praesidio reddere conati sunt. Creatis igitur in monte sacro duobus tribunis tribusque cooptatis (Liv. 2, 33.), lex de sacrosancta potestate lata est, quae sacrata praecipuo quodam iure vocari videbatur, his ap. Dionys. 6, 89. verbis concepta: *ὅτι δήμαρχον ἄκοντα ὥσπερ ἕνα τῶν πολλῶν μηδεὶς μηδὲν ἀναγκαζέτω δρᾶν, μήτε μαστιγούτω, μηδὲ ἐπιταττέτω μαστιγοῦν ἑτέρῳ, μηδὲ ἀποκτιννύτω, μηδὲ ἀποκτείνειν κελευέτω· ἐὰν δέ τις τῶν ἀπηγορευμένων τι ποιήσῃ, ἐξάγιστος ἔστω καὶ τὰ χρήματα αὐτοῦ Δήμητρος ἱερά, καὶ ὁ κτείνας τινὰ τῶν ταῦτα εἰργασμένων φόνου καθαρὸς ἔστω.* Sed sunt, quae iustam in hac re dubitationem moveant, nam quae in ipsa sanctione, quam Festus p. 318[b]. servavit, ne lex quidem, sed plebiscitum vocatur, ea quemadmodum legis sacratae auctoritatem nancisci potuerit difficile intellectu iure Beckero Handbuch d. R. A. 2, 2. p. 281. visum est, videri saltem debuit Goettlingio Röm. Staatsvf. p. 300.; ait enim Festus: *lege tribunicia prima cavetur: si quis eum, qui eo plebiscito sacer sit, occiderit, parricida ne sit,* qui quod legem hanc primam tribuniciam dicit, rogatam a tribunis significat haud aliter, quam Dionysius l. c. *γράφεται πρὸς αὐτοῦ*

*καὶ τῶν συναρχόντων ὅδε ὁ νόμος.* Postea igitur, reversa in urbem plebe, cum patricii quoque tribunorum iura suis suffragiis confirmassent (Dionys. 6, 90.), 'sanctionis sacrandae' sollemnes caerimoniae accesserint necesse est, quae quales fuerint ex legis Iciliae de Aventino sanctione conicere licet ap. Dionys. 10, 32: *μετὰ τοῦτο ἱεροφάντων τε παρόντων καὶ οἰωνοσκόπων καὶ ἱεροποιῶν δυοῖν καὶ ποιησαμένων τὰς νομίμους εὐχάς τε καὶ ἀρὰς ... ὁ νόμος ἐκυρώθη.* cf. 10, 57. Tribunos autem recens creatos, quorum praecipue religione et metu deorum auctoritas niteretur, in pontificis maximi fidem quodammodo et tutelam traditos esse, etsi non plane improbabile est, tamen in tantis illorum temporum tenebris incertissimum videri debet quod Beckerus 2, 2. p. 258. sq. (cl. Marquardt Gottesdienstl. Alterth. p. 229.) coniecit, non primos tantum tribunos, sed ante legem Publiliam (283. a. u.) omnes comitiis calatis centuriatis creatos esse. Curiata certe Dionysius 6, 89. nominat, Cicero p. Cornel. ap. Asc. p. 76. Or. (p. 212. Klotz.) significare videtur. Legem autem sacratam in monte sacro latam, ut vere tribuni et ad iuris divini normam sacrosancti fierent, concors omnium scriptorum sententia est populum iureiurando firmasse: ipsius vero formulae haud scio an alio exemplo Dionysius, alio Festus usus sit. Nam quod is p. 318[b]. hanc ponit sacrosancti definitionem: *sacrosanctum dicitur, quod iureiurando interposito est institutum, si quis id violasset, ut morte poenas penderet*, populum iurasse apparet, se de eo, qui tribunum violasset eoque scelere sacer factus esset, supplicium ipsum sumpturum; quo illud egregie confirmatur, quod initio significatum est, in homines sacros moris non fuisse a magistratibus iussu populi animad-

verti, licet privatis ultio concessa esset. Atqui tribunum violare, hoc erat plebi Romanae et unicuique de plebe, quos ille sua persona tanquam praesenti aliquo numine et salutis pignore tutabatur, insultare; iureiurando igitur interposito suam quisque fidem obstrinxerat, pro virili se parte adnisurum, ut qui tantum scelus ausus esset, capite poenas lueret. Plebem tantum iurasse et per se ipsum probabile est, et ex Livio intelligitur, qui iuris divini interpretes opinari dicit 3, 55: tribunos vetere iureiurando plebis, cum primum eam potestatem creavit, sacrosanctos esse. Mitiorem aliquanto iurisiurandi formulam Dionysius 6, 89. adumbravit, qua non de eius, qui contra fecisset, supplicio cautum esset, sed unusquisque se suosque posteros legem sanctissime observaturos sub omnium malorum imprecatione polliceretur: *πάντας ἐτάχθη Ῥωμαίους ὀμόσαι καθ' ἱερῶν, ἦ μὴν χρήσεσθαι τῷ νόμῳ καὶ αὐτοὺς καὶ τοὺς ἐγγόνους τὸν ἀεὶ χρόνον· ἀρά τε τῷ ὅρκῳ προσετέθη, τοῖς μὲν ἐμπεδοῦσι τοὺς θεοὺς τοὺς οὐρανίους ἵλεως εἶναι καὶ δαίμονας τοὺς καταχθονίους· τοῖς δὲ παραβαίνουσιν ἐναντία καὶ τὰ παρὰ θεῶν γίνεσθαι καὶ τὰ παρὰ δαιμόνων, ὡς ἄγει τῷ μεγίστῳ ἐνόχοις.* Pontificem maximum ipsum populi iussu et nomine iusiurandum peregisse non satis persuadet Becker p. 269., cum praeivisse potius verba sollemnia videatur, quemadmodum in votis et consecrationibus mos erat (Marquardt p. 219. 226.).

Tribunorum cum populo agendi ius plebis libertati utilissimum prorsusque necessarium ne maiores magistratus auctoritate, privati homines contumacia impedire conarentur lex Icilia lata est, de cuius tempore iustissimas dubitationes movit Niebuhrius 2. p. 263. cl. Becker 2, 2.

p. 279. Dionysius (7, 17.) T. Geganio P. Minucio coss. (262. a. u.) latam refert his verbis: *δημάρχου γνώμην ἀγορεύοντος ἐν δήμῳ μηδεὶς λεγέτω μηδὲν ἐναντίον, μηδὲ μεσολαβείτω τὸν λόγον· ἐὰν δέ τις παρὰ ταῦτα ποιήσῃ, διδότω τοῖς δημάρχοις ἐγγυητὰς αἰτηθεὶς ἔκτισιν, ἧς ἂν αὐτῷ ἐπιθῶσι ζημίας· ὁ δὲ μὴ διδοὺς ἐγγυητὴν θανάτῳ ζημιούσθω καὶ τὰ χρήματα αὐτοῦ ἱερὰ ἔστω·* quae lex quamquam sollemni sanctione, qua caput eius, qui contra fecerit, consecratur, caret, sacrata tamen ap. Ciceronem nuncupari videtur pro Sest. §. 79: *cum se non modo contra vim et ferrum, sed etiam contra verba et interfationem legibus sacratis esse armatum putaret.* Nam adulta paulatim plebis libertate et licentia, non ea tantum, quae in sacrosancta potestate firmanda et exornanda accuratiore et cautiore definitione egere populo visa essent, vetustae legi sacratae accessionis loco fuere, sed ne libidini quidem et insolentiae sanctum nomen praetendere tribuni unquam dubitarunt. Icilio certe interprete nihil tribunis non licuit, qui Dionysio teste 10, 32: *ἀπελογεῖτο τοὺς ἱεροὺς προφερόμενος νόμους· οὔτε γὰρ ἄρχοντι, οὔτ' ἰδιώτῃ συνεχωρεῖτο πράττειν οὐδὲν ἐναντίον δημάρχῳ.* Interdum ne in nimiam hominum invidiam incurrerent tribuni, quos ex lege sacrata reos facerent, non capite, sed bonis tantum multatos voluere, velut ap. Dionysium 10, 42. Cloelios Postumios Sempronios: *τίμημα δ' ἐφάνη ταῖς δίκαις ὁρίσαι μήτε θάνατον, μήτε φυγήν, μήτ' ἄλλο ἐπίφθονον μηθὲν ..., ἀλλὰ τὰς οὐσίας αὐτῶν ἱερὰς εἶναι Δήμητρος τὸ μετριώτατον ἐκλεξαμένοις τοῦ νόμου μέρος.* Inde mos increbruisse videtur eorum, qui debitam sacrosanctae potestati verecundiam violassent, bona consecrandi, quod usitatissimum semper tribunis ultionis

genus fuit. Liv. 43, 16. Cic. de dom. c. 47. 48. Turbae deinde decemvirales secutae sunt, nulla re magis, quam tribunicii auxilii orbitate et provocatione sublata plebi funestae: excusso igitur tandem intolerabili iugo tribunisque a Q. Furio pontifice max. calatis comitiis (Cic. pro Corn. ap. Asc. p. 77. Or. p. 212. Klotz. Becker 2, 2. p. 258.) creatis ingenti populi desiderio leges sacratae, unicum civium erga magistratuum superbiam et imperium praesidium restitutae sunt. Primum igitur ne quis magistratum sine provocatione crearet sanctum est, qui creasset, eum ius fasque esse occidi, neve ea caedes capitalis noxae haberetur. Deinde vero (Liv. 3, 55.) caerimoniis sanctissimis et sollemni ritu tribunorum sancrosanctum ius summa cum cura et religione confirmatum est lege a coss. M. Horatio L. Valerio lata, *ut qui tribunis plebis, aedilibus, iudicibus decemviris nocuisset, eius caput Iovi sacrum esset, familia ad aedem Cereris Liberi Liberaeque venum iret.* Quanta vero cum subtilitate et distinguendi diligentia divini iuris interpretes caerimoniarum illarum vim et religionem anxie examinare et quasi radio describere soliti sint, egregio documento sunt, quae de eorum magistratuum, quibus lege Horatia cautum esset, iure ex pretiosa vetustae doctrinae suppellectili Livius l. c. protulit: *Hac lege iuris interpretes negant quemquam sacrosanctum esse, sed cum quis eorum cui nocuerit, id sacrum sanciri; itaque aedilem prendi ducique a maioribus magistratibus, quod etsi iure non fiat, noceri enim ei cui hac lege non liceat, tamen argumentum esse, non haberi pro sacro sanctoque aedilem; tribunos vetere iureiurando plebis, cum primum eam potestatem creavit, sacrosanctos esse.* Id igitur de-

mum illi, plane ut est apud Festum p. 318[b], sacrosanctum esse opinabatur, quod non modo lege sacrata firmatum sed de quo populi iureiurando sanctum esset, si quis id violasset, morte poenas soluturum. Hoc enim inter utrumque interest, quod eum, qui laesa sacrata lege sacer esset, impune interimere licebat, qui in sacrosancta potestate peccasset, eum plane oportebat. Et aediles quidem, id quod in decemviros quoque stlitibus iudicandis cadit, lege Horatia sacrosanctos non fuisse apparet, quibus nocuisse non capital necessario esset: prendi vero eos ducique maioribus magistratibus tum demum ius esse coepit, cum legum sacratarum severitas mitigata et ipsius poenae memoria vetustate oblitterata esset. Quantopere autem in aedilium iure constituendo variatum sit, Varronis ap. Gell. 13, 13. testimonio docemur, qui vel a privato aedilem in ius vocari posse exemplo M. Laevini probat, comparata Catonis sententia, qui Festo teste p. 318[b]. orationem scripsit, *aediles plebis sacrosanctos esse.* Nec sane quo argumento Cato usus sit, valde obscurum esse potest, cum aediles paucis post primos tribunos diebus primum creatos esse annales (Dionys. 6, 90.) tradant, nec profecto quorum munus officiumque cum tribunatu coniunctissimum fuit improbabile sit eadem iurisiurandi religione tutos et consortes quodammodo potestatis divinae fuisse.

Duas Cicero leges ex XII. tabulis in illam optimarum legum descriptionem, quam pro exemplo quasi perfectae civitatis esse voluit, immutatas transtulit, de legg. 3, §. 11. cl. §. 44: *privilegia ne irroganto; de capite civis nisi per maximum comitiatum, ollosque, quos censores in partibus populi locassint, ne ferunto.* quas quamvis ipse nulla sanctione munierit, sacratas tamen fuisse

ex or. p. Sestio §. 65. et de dom. §. 43. apparet; quod ne mirum quidem videri potest, cum pignus utraque libertatis civium sit. Nam privilegium irrogare hoc erat honesto legis nomine obtento civem indicta causa condemnare, ut docte ostendit Dirksen Civ. Abh. vol. 1. p. 254. sq. cl. Cic. Brut. §. 89: *Libone tribuno populum incitante et rogationem in Galbam privilegii similem irrogante.* Nec decemviros primum eam legem tulisse verisimile est: vetustissimam certe Cic. de legg. 3, §. 44. putavit, qui egregiam maiorum sapientiam admiretur, qua nondum inventis tribunis seditiosis, ne malis quidem, tantum in posterum providerint. itaque haud scio an P. Valerium pro auctore habuerit, cuius de provocatione legi altera illa, qua cavebatur, ne de capite civis nisi comitiis centuriatis rogaretur, simillima est. Anno a. u. 454. M. Valerius legem de provocatione bis iam ab eadem familia latam, tertiis curis renovavit, sanctione adiecta, quae propter insignem modestiam clementiamque simplicem Livii animum admiratione et favore percussit 10, 9: *Valeria lex cum eum, qui provocasset virgis caedi securique necari vetuisset, si quis adversus ea fecisset, nil ultra, quam improbe factum adiecit.* Et Niebuhrius quidem, qui eandem sanctionem minus recte, et contra quam Dionysius 5, 70. affirmat, ad P. Valerii Publicolae legem rettulit, populum consulto poenam in incerto reliquisse putat (1, p. 591.), ut noxii culpa potius, quam factum aestimari posset; quod eo probabilius est, quia paulatim vetustus capitis consecrandi mos obsolevisse videtur. Sanio p. 61. sanctione illa cum magistratus tum privatos armari quodammodo ad supplicium sumendum sibi persuasit. Vergente iam ad finem liberae reipublicae

robore et flore vetustae legum sacratarum religiones, quibus patrum memoria libertas et aequum ius omnium fundatum esset, ipsis patriae oppressoribus et eversoribus quasi in praedam cesserunt. Caesari igitur post victos Pompeii filios ex Hispania reduci (709. a. u.) cum alii innumeri honores decreti sunt, tum ut eodem iure, quo tribuni plebis esset, Dione Cassio teste 44, 5: *τά τε τοῖς δημάρχοις δεδομένα καρποῦσθαι· ὅπως ἄν τις ἢ ἔργῳ ἢ λόγῳ αὐτὸν ὑβρίσῃ, ἱερός τε ᾖ καὶ ἐν τῷ ἄγει ἐνέχηται.* cf. Appian. civ. 2, 106. Liv. Ep. 116. Octaviano ut inviolatus sacroque sanctus esset anno 718. tributum iam est, ut narrat Dio 49, 15: *τὴν οὖν οἰκίαν αὐτῷ ἐψηφίσαντο καὶ τὸ μήτε λόγῳ μήτε ἔργῳ τι ἐξυβρίζεσθαι· εἰ δὲ μή, τοῖς αὐτοῖς τὸν τοιοῦτόν τι δράσαντα ἐνέχεσθαι οἷσπερ ἐπὶ τῷ δημάρχῳ ἐτέτακτο.* Ipsam tribuniciam potestatem anno demum 731. susepit (Dio Cass. 53, 32.).

5. Iam vero de sollemnibus consecrationum caerimoniis et religionibus deque mirifica eius poenae vi atque usu quaerendum est, qua quae populus Romanus inprimis sancta et, quae tum erat hominum pietas et pudor, dis ipsis quodammodo cara dilectaque crederet, tanquam paratissimo aliquo fulmine defendit et sanxit. Primum autem ab eorum errore cavendum est, qui — id quod Sanio in pereleganti libello de leg. Corn. de sic. p. 61. sq. speciosis sane rationibus demonstrare studuit — quascunque leges violare capital esset omnes antiquissimis certe temporibus hac sanctione munitas fuisse arbitrantur: ut sacer alicui deorum esset, qui contra fecisset; itaque quem populus ob maleficium iudicavisset si prendi ducique potuisset praesenti supplicio mactatum esse, sin effugisset tanquam hostiam effugiam ab unoquoque impune necari potuisse, nam,

ut est ap. Serv. Aen. 2, 104., sacrorum est, ut fugiens victima, ubicunque inventa fuerit occidatur, ne piaculum committatur. At vero falli qui capitis consecrationem unquam vulgare et tritum quodammodo supplicii genus fuisse crederent, maximo argumento est, quod crimini, quo priscis temporibus, nondum cultu et praeceptis hominum ingeniis mitigatis, haud aliud frequentius esse potuit, homicidio, illa poena statuta non erat, nam lex erat Numae ap. Paul. p. 221: *si qui hominem liberum dolo sciens morti duit, paricidas esto.* Nec quod Cicero de legg. 2, §. 22. praecipit: *sacrum sacrove commendatum qui clepsit rapsitque paricida esto,* a vetustissimis temporibus abhorrere videtur, praesertim cum Attico iudice (de legg. 2, §. 23.) non multum discrepet ista constitutio religionum a Numae legibus. Alterum quod Sanio l. c. p. 62. not. non plane quidem dicit, significat tamen, reos, qui iussu populi a magistratibus necarentur, dis antiquitus pro hostiis immolatos esse, verissimum quidem est; sacros eosdem fuisse, si ad iuris pontificii normam iudicandum est, concedi nequit: siquidem aliud est sontem secundum iura et leges supplicio afficere, aliud dedere illi, quem violarit, libero vitae necisque arbitrio permisso. Omnis autem memoria vetusti hominum sacrorum iuris, qui luculentus haud dubie olim pontificiae doctrinae locus fuit, nunc quidem paucis nititur et dispersis per diversos scriptores vestigiis, e quibus universam instituti rationem et ordinem modesta coniectura refingere possis. Et primum quidem de ea re, in qua maxime peculiaris legum sacratarum vis ac religio conspicitur, satis inter omnes convenit: eum qui contra fecisset, impune cuilibet necare licuisse; nec in formulis quidem, quibus hoc poenae genus

explanari solet, multum variatur: ut ap. Dionys. 2, 10. et 74: *τῷ βουλομένῳ κτείνειν ὅσιον ἦν.* id. 5, 19: *τὸν ἀποκτείναντα ἀθῷον εἶναι.* 5, 70: *νηποινὶ τεθνᾶναι.* 6, 89: *ὁ κτείνας φόνου καθαρὸς ἔστω.* Liv. 3, 55. *ius fasque esset occidi.* Fest. p. 318[b]. *qui occiderit, paricida ne sit.* de iure vero quaeritur, utrum qui tale crimen commisisset, ipsius sanctionis vi sacer et ultioni hominum condonatus fuerit, an populi suffragiis antea condemnari oportuerit, quem ex rerum humanarum divinarumque communione respublica eicere et expertem omnis tutelae et praesidii fieri vellet. Cum autem indicta causa eum, qui adversus leges sacratas, post reges exactos populi plebeive suffragiis latas, fecisset, necare fas fuisse et Plutarchus Publ. 12. (*ἄνευ κρίσεως*) et Dio Cass. 53, 17. (*ἄκριτον ἐναγῆ ἀπολλύναι*) et Festus p. 318[b]. ('qui eo plebiscito sacer sit') doceant, non est cur idem per leges regias, ad quarum illae haud dubie exemplum constitutae sunt, si de crimine satis constaret, minus licuisse credamus; sunt tamen quae noxium plerumque reum factum esse persuadeant et de capite causam dixisse, praesertim cum in illis criminibus, de quibus Romulus, Numa et Servius Tullius sanxisse dicuntur, non locus tantum quaestionibus, sed vehementer opus esse debuit. Et maxime quidem hoc cadit in iudicium de termino moto, quod non potuit, nisi a rei peritis exerceri, quos fratres Arvales fuisse Rudorffius Grom. Inst. p. 243. suspicatur propter glossam Labb. p. 15: fratres Arvales *περὶ ὅρων διαγιγνώσκοντες δικασταί.* In eius quoque, qui clienti fraudem fecisse insimularetur, causa anquisitione supersederi non potuit, ut testatur Dionysius 2, 10: *εἰ δέ τις ἐλεγχθείη... ἔνοχος ἦν τῷ νόμῳ.* Filium denique, qui patrem verbe-

rasset, causam dicere voluit Servius Tullius, qui Festo teste p. 230[b]. addiderit: 'ast olle plorassit,' id est (ut optime supplevit Müllerus) diem dixerit. De quibus eo fuit accuratius monendum, quod miro errore nuper Iheringius Geist des R. R. 1, p. 274. homines sacros sibi persuasit nec accusatos unquam, nec condemnatos, sed fortuito supplicio ab iis, qui vellent interemptos esse; quod vero Festus p. 318[b]. dicat sacrum esse, quem populus iudicaverit ob maleficium, de commoto universi volgi dolore interpretandum esse, quod impio capiti exitium minetur. Sed publicae quoque civium saluti qui nocuisse arguebantur, si ex legibus sacratis rite consecrandi essent, dubium non est, quin de sacrando eorum capite bonisque ad populum ferri oportuerit. Qua in re permirum videri debet, in tanta turbarum civilium et discordiarum acerbitate, quae ipsa reipublicae viscera laceraret, nullo tamen exemplo probari posse, cuiusquam aut caput consecratum aut omnino ea de re unquam populum rogatum esse. Quod enim solum apte ad hoc genus referre possis Februarii ap. Malalam p. 186. Dind. supplicium a Reinio Roem. Crim. R. p. 33. indicatum, propter exiguam testis auctoritatem nullius usus est.

Cum igitur acerrimi illius quasi teli, quo non corpus tantum rei, sed omnis memoriae laus et si quid post hanc vitam dulce et pulcrum remanet, invocata deorum ira extingueretur, nullum in iudiciis publicis vestigium reperiatur, iique, quorum leges sacratae caput Iovi, Cereri bona sacra esse iubebant, plerique omnes perduellionis rei facti esse videantur, fuerunt, qui sibi persuaderent, perduellionis iudicia cum consecrationis poena coniunctissima fuisse, quique causam ex lege sacrata dicerent nomine re-

ligionis, re perduellionis dixisse (Rein Röm. Cr. R. p. 475. Becker Handb. 2, 2. p. 282. praecipue Platner quaest. de R. iur. Cr. p. 32.). Nec desunt, quae huic sententiae favere videantur, nam Sp. Cassium quis neget ex lege P. Valerii Publicolae de sacrando cum bonis capite eius, qui regni occupandi consilia inisset, reum fieri potuisse; cum Livius 2, 41. dicat, se apud quosdam invenisse — id quod propius fidem sit — a quaestoribus Caesone Fabio et L. Valerio diem dictam perduellionis, damnatumque populi iudicio, dirutas publice aedes. Appio quoque Claudio, quo haud ullus magis invisus plebi reus fuit, teste Liv. 2, 61. M. Duellius Cn. Siccius tr. pl. diem dixere, cuius per ius et fas propter pulsatum tribunum (Dionys. 9, 48.) caput dis debebatur, ut ipsi in accusationis formula tribuni significabant, Dionys. l. c. 54: *ὅτι πονήρας ἐτίθει κατὰ τοῦ δήμου γνώμας καὶ στάσιν εἰσῆγεν εἰς τὴν πόλιν καὶ δημάρχῳ χεῖρας ἐπήνεγκε παρὰ τοὺς ἱεροὺς νόμους.* Caeso vero Quinctius in incerto relinquendum erit, num facinus consecratione dignum commiserit, quem non ipsos tribunos, sed homines de plebe verberasse Dionysius 10, 5. narret. Sed huic quoque Livio 3, 11. teste a tribuno dies dicta est. Verum haec et si qua sunt his similia nihil probant, nisi fieri potuisse saepeque factum esse, ut qui adversus leges sacratas, libertatis civium salutisque tribunorum causa latas quid commisissent, eos magistratus populi Romani, omissis sollemnibus consecrationis et imprecandae deorum irae caerimoniis, profaniore fortasse, sed certiore aliquanto et accusandi et puniendi genere castigarent. Fac enim cum omni sacrorum apparatu consecratum esse vel Quinctium aliquem vel Appium: expectandum scilicet fuit dum homo formidolosus de plebe potentissimum superbissimumque

reum, cuius caput Iovi sacratum debitumque sciret, aggredi et, id quod ius fasque erat, occidere conaretur; si fecisset, num id illi impune futurum fuit? Prudenter igitur et astute tribuni Coriolano, cuius mores magis et superbiam, quam certum aliquod crimen castigatos vellent, accusationem quidem ingentis invidiae et periculi ex lege sacrata P. Valerii intenderunt, quasi regni occupandi consilia molitus sit (Dionys. 7, 58. *τυραννίδι ἐπιβουλεύειν*), poenam vero atroci et horrendo carmine sanctam sic ipsi mitigarunt, ut ne de morte quidem rei ad populum ferrent, sed uti perpetuo exilio multaretur (Dionys. l. c. 64.).

Nec tamen quod in quibusdam civibus, qui ipsi reipublicae nimii, nedum hominum privatorum de plebe ultioni superabiles essent, prudenter evitatum est, id statim sequitur omnino factum non esse. Ut autem capitis consecrationem ne raro quidem primis liberae reipublicae temporibus legum sacratarum violatoribus irrogatam credamus, praecipue facit bona consecrandi mos, quem dum populo Romano libertas et tribuniciae potestati auctoritas salva fuit, nimio propemodum usu frequentatum esse constat. Cum enim et bona et caput ex lege sacrari oporteret, si utrumque sine accusatoris invidia vel auctoritatis discrimine fieri posset, non verisimile est in mitiori parte poenae tribunos substitisse. Cloelios igitur, Postumios, Sempronios ap. Dionys. 10, 42. bonis tantum multatos illi volunt, quod accusationi non satis confidunt: in aliis minus eos cunctatos esse crediderim, quorum et culpa manifesta, nec nimia quaedam vel in culpa auctoritas Appianive spiritus essent. Maximam autem in hac quaestione ad persuadendum vim hoc habet, quod vetustum plebiscitum extat, unde non solum in certis quibusdam criminibus eo puniendi genere

in noxios animadversum esse luculentissime apparet, verum de ratione etiam, quae in accusando reo et iudicio constituendo observabatur, coniecturam capere licet. In plebiscito enim Siliano de ponderibus et mensuris (Fest. p. 246[b]. Boeckh Metrol. Untersuch. p. 17 et 206.) de poena magistratus, qui dolo malo praescriptas normas immutare ausus esset, his verbis sancitur: *si quis magistratus adversus hac d. m. pondera modiosve ... faxit iussitve fieri ... eum quis volet magistratus multare dum minore parti familias taxat, liceto sive quis im* (*in* cod. em. Scal.) *sacrum iudicare voluerit, liceto.* Hic quod iudicis partes magistratui tribuuntur, spectat id ad solitum Romanis in iudiciis publicis morem, quo de eo, qui noxam commisit, primo quidem loco magistratuum aliquis ferre sententiam solet, summa tamen iudicii, provocatione interposita, in populi arbitrio vertitur. Simillimum igitur est quod in perduellionis causis perduellionem sese reo iudicare sollemni formula sive duumviri (Liv. 1, 26.) sive tribuni pl. (Liv. 26, 3. 43, 16.) dicunt (Brissonius de form. 5, 186. Mommsen R. G. 1, p. 248.).

Ritus autem et caerimoniae consecrationum quanta religione et sanctitate, quanta verborum tristitia fuerint facile conicere licet ex solita Romanis gravitate et a Cicerone significatur de dom. §. 123. *tu, tu inquam capite velato, contione advocata, foculo posito, bona tui Gabinii ... consecrasti.* ib.: *C. Atinius bona Q. Metelli ... consecravit foculo posito in rostris adhibitoque tibicine.* Carmen autem, quo caput noxii consecrabatur, fieri non potest quin ipse pontifex maximus peregerit, ut optime coniecit qui universum hunc locum subtiliter tractavit, Marquardt p. 229., quamquam quod

iecit, propter locum Festi p. 309[b]. de rege quoque sacrificulo cogitari posse, minus probabile est. Sed ne bonorum quidem consecrationem rite et more maiorum institui potuisse nisi pontifice tribunis sollemnia verba praeeunte satis docet quod tribunorum, qui sua soli auctoritate et arbitrio bona civium sibi infensorum consecraverant, nemo pro rata et iusta consecrationem habuit. Permultos igitur, quibus virus illud suum rabies tribunicia adsperserit Cicero l. c. sine ulla offensione vixisse docet, nec Graccho censori (585. a. u.), cuius P. Rutilius bona religione obligare conatus erat (Liv. 43, 16.), id valde molestum fuisse videtur. At quae pontifex imprecatione et caerimoniis obstrinxisset, etiamsi profanari rursus sublato religionis vinculo licebat, dum tamen id factum esset, obligata manebant, pontificem igitur adhibuisse verisimile est C. Atinium in bonis Q. Metelli censoris (623. a. u.) consecrandis, quem contra quam Cicero l. l. dicit, Plinius 7, 45. §. 143. postea alieno beneficio vixisse affirmet; nolentem enim a tribuno, ut sibi adesset, cogi potuisse Cicero de dom. §. 117. significat.

6. Reliquum est, ut de supplicio hominum sacrorum quaestionem instituamus doctorum virorum dissensu et erroribus quibusdam praepeditam, qua hoc potissimum eruendum erit, utrum qui populo iubente a pontifice maximo consecrati essent, eodem iubente a magistratibus necati sint, an dis potius, quibus sacrati essent, ultionem permitti moris fuerit. Ut solet fere originibus populorum et priscis civitatium institutis numinis aliquid et divinae sanctitatis igniculi quidam inesse, ita vetustissimis temporibus iuri publico apud populum R. cum iure divino summa coniunctio fuit, ut omne crimen non poena tantum, sed pia-

culo et religione luendum esset. Quicunque igitur capitis supplicio punirentur, fieri non poterat, quin dis etsi non iusta consecratione addicti, at tanquam sacratae hostiae (Verg. 12, 213. Paul. p. 110, 5.) immolari viderentur. Sic enim homines sibi persuasisse, argumento est cum quod Cereri suspendi dicitur qui furtim segetem paverit secueritve (Plin. 18, 3. §. 12.), tum locus Festi p. 309[b]., ubi Muellerus praeeunte Ursino rectissime haec restituit: [cum civ]*is necaretur i*[nstitutum fuisse ut] ..... *solutis c*[ivibus caput ipsum dam]*nati patrim*[oniumque, cui deo deberetur] *id fieret sa*[crum.] Et primo quidem adspectu sine magno erroris periculo inverso sententiarum ordine dici posse videtur, qui dis caerimoniis et religione consecrati essent, eorum omnium ad rempublicam et magistratuum officium supplicium pertinuisse: idque plurimis hominibus doctis, qui in hunc locum paulo curiosius inquisierint, placuisse videtur. Niebuhrius enim 1, p. 590. homines sacros in modum hostiarum piacularium maetatos esse censet, suetum antiquissimis populis morem comparans noxios sacrificandi. Quam opinionem hoc maxime nomine Abeggius de ant. R. iur. cr. p. 51. reprehendit, quod dis nisi quae casta puraque sint, offerre non licuerit, Reinius contra (Cr. R. p. 33.) suam fecit immutatam paululum, nam mox consuetudine illa immani et barbara cultu humaniore oblitterata institutum esse, ut sacri homines in iudicium vocarentur et vel supplicio afficerentur, vel eiecti e republica casu et solitudine perirent. Rubino p. 414. sontes opinatur qui vel erui vel argui non potuerint sollemni legum sacratarum sanctione deorum irae traditos esse; qui potuerint, in eos supplicio animadversum esse. Koestlino (die Perd. p. 132.) quoque in tanta culpa, de qua

singulari quodam legum sanctionumque genere cautum esset, ius fasque haud dubie ultionem, quae publica auctoritate fieret, requirere videbatur. Hos omnes quid commoverit, ut sacros homines legis populique iussu sive immolatos, sive capitali poena multatos esse crederent, optime Platnerus quaest. p. 31. significavit: parum profecto esse, si deorum tantummodo irae privatorumque hominum dolori poena permittatur; quid enim, si nemo, qui sontem interimeret, repertus esset, lege et consecratione actum esse? Certius igitur ultionis telum desiderari, quod quid esse potuisse praeter accusationem et supplicium. Verum sunt hae ex nostratium potius, quam ex veterum Romanorum mente res humanas iudicantium dubitationes. Nam quod nobis, quibus ipsa peccatorum conscientia et animi cruciatus omni supplicio tristiora videntur, aegre persuademus, esse aliquam, quae noxios per omnem vitam persequatur et certissima pernicie interimat, numinis divini ultionem, id illis haudquaquam incredibile fuisse et execrationis et resecrationis variaeque expiationum et averruncandae deorum irae denique ipsius, de qua quaeritur capitis consecrationis caerimoniae docent. Qui igitur crederent et velle deos immortales et posse crimina punire, non desperandum putabant, inventuros illos, cuius manu noxium sibi consecratum debito supplicio interimerent. Fuit igitur ex omnium, quae legibus et iure statuta essent, quasi silva pars quaedam excepta et sanctioribus finibus circumscripta, quam qui laesisset non, ut in reliquis mos erat, qui capitalem noxam admisissent, dis pro hostia immolabatur, sed sacer et ex hominum communione eiectus desperatam miseramque vitam trahebat, donec vi aliqua vel casu periret, quod Festi locus praestantissimus docet p. 318[b]: *at homo sacer is*

*est, quem populus iudicavit ob maleficium, neque fas est eum immolari, sed qui occidit parricidi non damnatur.* Quem locum non recte pro corrupto Goettlingius Röm. Staatsvf. p. 160. habuit, *neque fas est eum immolare* coniciens, quasi hoc dicat Festus, sacros homines tanquam pollutos impurosque a sacrificiorum communione remotos esse; idque probarunt Iheringius Geist d. R. R. 1, p. 274. et Danzius sacr. Sch. p. 84. Obstat autem huic rationi primum quod aliud est sacris prohiberi, aliud ipsum immolare recte non posse, illud enim latius aliquanto patet, quam hoc; deinde vero sequentem sententiam illi, de qua quaeritur, opponi particula *sed* indicat: quae oppositio, si Goettlingium sequare, plane tollitur. Itaque quod Festus negat fas fuisse homines, qui consecrati essent, immolari, immolationem haud dubie vocat supplicii sumendi vetustissimos ritus et caerimonias ab ipso p. 309[b]. descriptas; quo fit, ut hoc dixerit: 'publice religioni fuisse in sacros homines animadvertere, privatis impune licuisse.' Nec obstat quod Graeci scriptores hoc privatorum hominum, quo impium disque debitum caput mactarent, quasi ministerium et ipsum pro immolatione habuerunt, eum autem, quem impune quisque occidere posset, pro victima sacrificari crediderunt, sic enim Dionysio 2, 10. visum est: *τὸν δὲ ἁλόντα τῷ βουλομένῳ κτείνειν ὅσιον ἦν ὡς θῦμα τοῦ καταχθονίου Διός* et Plutarcho Rom. 22: *τὸν δ' ἀποδόμενον γυναῖκα θύεσθαι χθονίοις θεοῖς.* Trebatio contra cautiori aliquanto harum rerum iudici, tantum abfuit, ut sacrorum hominum supplicium sacrificii vim habere videretur, ut cur omnino eos occidi ius fasque fuerit, explicatione egere crederet. Macrobio igitur teste in libro de religionibus nono hac fere dispu-

tatione usus est (3, 7, 5.): *Non ignoro quibusdam mirum videri quod cum cetera sacra violari nefas sit, hominem sacrum ius fuerit occidi. Cuius rei causa haec est: Veteres nullum animal sacrum in finibus suis esse patiebantur, sed abigebant ad fines deorum, quibus sacrum esset: animas vero sacratorum hominum, quos * zanas Graeci vocant, dis debitas aestimabant. Quemadmodum igitur quod sacrum ad deos ipsos mitti non poterat, a se tamen dimittere non dubitabant, sic animas, quas sacras in caelum mitti posse arbitrati sunt, viduatas corpore quam primum ire illo voluerunt.* Sed sive immolatio illa fuit, sive pietatis erga numen divinum officium: in omni isto puniendi instituto et consecrationis religione hoc potissimum spectatum esse videtur, ut divinae irae vi et pondere noxius sive statim sive aliquando opprimeretur; quae ratio si populum poenam iussisse statuas omnis tollitur. Quo accedit quod ita commodissime populi iusiurandum, quo sacrosanctam potestatem et leges sacratas instituit et muniit, quid sibi velit, explicari poterit. Cum enim sacrum esse, qui tribunum violasset, parum visum esset, ut quam maxime tantae noxae rei caedes festinaretur, suam quisque manum et fidem iureiurando dato obstrinxit. Quo quod lege sanctum erat, ut fas esset, cuicunque videretur, hominem sacrum interimere, id iurisiurandi religione sic firmatum est, ut nefas et piaculum esset, si quis noluisset. Cui rei quantum vetusti iuris interpretes tribuerint, ipsa eius, quod sacrosanctum est, definitio ostendit. Nam id de quo lege sacrata cautum esset, ut eius, qui contra fecisset, caput consecraretur, nisi populi iusiurandum accessisset, sacrosanctum recte vocari negabant, qui opinor

supplicii velocitatem et ultionis ardorem praecipue spectarent (Liv. 3, 55.). Nec sane, quae ratio plebem, ut iuraret, commoverit, obscurum est. Cum enim sacros homines a magistratibus prendi ducique fas non esset, sibi quisque suisque posteris, iureiurando tanquam pignore dato, hoc ulciscendi munus iniunxit, quo effectum est, ut eius, qui tribunum violasset, non in fortuna et casu, sed in civium fide et dolore supplicium positum esset, quod Festus p. 318[b]. significat: *sacrosanctum dicitur, quod iureiurando interposito est institutum, ut si quis id violasset, morte poenas penderet.* Haec igitur nascentis libertatis temporibus a plebe, cui in sola consecrationis religione parum praesidii esse videbatur, nimium fortasse caute et suspitiose sancta sunt. Priscis certe hominibus caput alicuius dis consecrari severissimum semper et tristius fere praesenti morte supplicium visum est. Nec Romanis tantum id genus poenae usitatum fuisse frequentia docent reliquorum Italiae populorum decreta, qui in summo rei publicae discrimine, cumque acerrime militum delectus habendus esset, lege sacrata exercitus cogere solebant, velut Volsci et Aequi Liv. 4, 26. Etrusci id. 9, 39. Ligures 36, 38., nec quicquam sanctionis formulam a more Romanorum discrepasse Samnitium exemplo Livius 10, 38. ostendit, qui edixere, *ut qui iuniorum non convenisset . . . quique iniussu abisset, caput Iovi sacratum esset.* In tanta igitur huius sanctionis vi et pondere haud scio an minus recte Prellerus p. 237. coniecerit, sacros homines interdum soluta consecrationis religione expiari et hostia animali (Macrob. 3, 5, 1.) oblata, in integrum plane restitui potuisse. Paulus certe quod dicit p. 103: *humanum sacrificium dicebant, quod mortui causa fiebat*, ar-

gumenti vim minime habet, 'mortuum' enim simpliciter vocari, qui sacer sit, ne apud Paulum quidem probabile est. Aut igitur fallimur, aut sunt illa Pauli verba de porca praecidanea intelligenda, quae non tantum mortui causa sacrificabatur ab herede, qui iusta illi non fecisset (Paul. p. 223.), sed ipsius heredis loco; nam vetusta lex, Numae opinor, ap. Paul. p. 77. sq., eum qui cum everriator i. e. heres esset, defuncto iusta non fecisset, capite poenas luere iubebat.

## V. DE SACRIS PRIVATIS.

1. Omnes, quae ad publicum deorum cultum pertinent et in oculis multitudinis versantur caerimoniae religionum et sacrificiorum, magnam ipso spectaculo vim habent ad confirmandum reipublicae ordinem legumque auctoritatem, quae sine aliqua sanctitatis specie et deorum, quae videatur esse custodia omnino constare nequit: sed est in hac re summum et libertatis et bonorum morum periculum positum, nisi simile studium per omnes reipublicae partes dispersum fuerit, ita ut tanquam per corporis venas sanguis, sic per omnes ordines, familias, singulorum denique animos cura illa deorum placandorum aequali continuoque pulsu perfundatur. Et Romanorum quidem cum universa respublica non sine clara deorum voluntate et auxilio condita esset, deinde vero singulari erga deos officio et studio effecisset, ut tanquam sedes eorum urbs aeterna constitueretur, tum praecipue gentium familiarumque sacra summa religione praedita habuit et ipsa urbe vetustiora, in quibus tanta quaedam sanctitate et veneratione fuerint, ut ab universo populo reciperentur et, salvo gentilium sacerdotio, publica

fierent; quam rem docte illustravit Mommsenus de colleg. p. 9—14. Omnino autem ne iniquius iudicemus de toto illo rituum caerimoniarumque apparatu, quo Romani deos sibi colendos putabant, sub quo nihil nisi ingentem superstitionem latere patres ecclesiae sibi persuaserunt, posito supercilio in intimas domorum partes, in familiarum sancta et casta penetralia denique in singulorum sinum ac solitudinem introspiciendum est, quae omnia tam referta sunt religionibus officio studio et cura rerum divinarum, ut ea haud sane fraude aliqua, quae cum superstitione fere coniuncta est, sed ipsius naturae vi et ductu orta esse videantur. Nec sane a pontificibus hic, qui est de sacris privatis locus, neglectus est, in quo acutissimorum virorum Ti. Coruncanii P. et Q. Muciorum ingenia tanquam in grato aliquo diverticulo versata sunt. Cum enim sacra ne interirent, id quod in tanta rerum humanarum vicissitudine difficillimum ad cavendum erat, omni modo prospiciendum esset, tanta illi sagacitate omnia, quae cogitari possunt, hereditatum successionumque genera iuris et legum vinculis constrinxerunt, ut nisi quem ipsi dimisissent, nemo unquam sacrorum officia subterfugere posset. Quae omnia quo clarius perspiciantur primum, quae fuerint sacrorum privatorum genera videndum est. Et brevi quidem, sed satis recta peritaque definitione Festus p. 245[a]. summa sacrorum genera comprehendit: *Publica sacra, quae publico sumptu pro populo fiunt, quaeque pro montibus, pagis, curis, sacellis; at privata quae pro singulis hominibus, familiis, gentibus fiunt.* Ubi quae ultimo loco posita sunt, gentium sacra, cum olim Savignyus über die iurist. Behandl. der sacra priv. (Vermischte Schr. vol. 1. p. 175.) pravo adiecta iudicio cen-

suisset, neque enim ab his sacellorum sacra (Cic. de har. resp. §. 32.) differre, Mommsenus l. c. p. 14. omni suspitione liberavit, quod Festo Livius 5, 52. suffragetur; et fortasse Dionysius quoque 2, 21: *χωρὶς γὰρ τῶν ἐχόντων τὰς συγγενικὰς ἱερωσύνας οἱ τὰ κοινὰ περὶ τῆς πόλεως ἱερὰ συντελοῦντες κατὰ φυλάς τε καὶ φράτρας ἑξήκοντα* (Ambrosch de sacerdotibus curial. p. 7.) *κατεστάθησαν ἐπὶ τῆς ἐκείνου ἀρχῆς*.

Est quoddam in uniuscuiusque hominis vita dierum discrimen, cum plurimi sane promiscuo rerum actu triti quasi et profanati decurrant, sint tamen aliqui, qui aut propter laetas res meliore lapillo numerandi aut propter doloris aliquod moestitiaeque volnus sanctiores facti sint. Hi sunt, quos Festus intelligit p. 242[b]: ***Privatae feriae vocantur sacrorum propriorum, velut dies natales, operationes, denecales***. Et die quidem natali ante omnes deos Genius placandus erat, qui, ut ait Censorinus 3, 5., ***ita nobis assiduus observator adpositus est, ut ne puncto quidem temporis longius abscedat, sed ab utero matris acceptos ad extremum vitae diem comitetur***. Mulieribus simile Genio numen Iuno adposita erat, cui suo quaeque natali die mundiore cultu et nitidiuscule compta preces merumque fundebat, ut pulcre narrat Tibull. 4, 6. In operationibus quas Festus dicit maxime conspicitur religionum ille quasi stimulus, priscorum hominum ad deos colendos ubique praesens adhortator, operari enim dicebantur, qui aut in re praesenti, cum laetius quid accidisset aut si res, cui discriminis aliquid inesset et in qua salus familiae verteretur, superum voluntati commendanda esset, sacrificiis et caerimoniis, interdum etiam conviviis rem divinam facerent. Et ad

hilare quidem genus haud dubie spectat Lucilii ap. Non. p. 523, 20. versus: *aut operata* (*operat* libb. em. Gulielm.) *aliquo in celebri cum aequalibu' fano;* praecipue vero eorum, qui voti compotes facti essent, grata laetitia ap. Pomponium (Nonius l. c. et v. 133. Ribb.): *Ad Veneris est profectus mane vetulus votum ut solveret, Ibi nunc operatus est.* ap. Afranium (Non. ib., v. 140. Ribb.): *Proficiscor; res tempus locus, simul otium hortabatur, Ut operatum illum dicerem sanctum diem Dianae.* Filiolo vero si pater familias auctus esset, *mensae*, ut ait Varro ap. Non. p. 312, 10. (Fragm. ed. Bip. p. 244.) *anteponebantur cum culina ac vino, in quis quae veniebant ad foetam amicam gratulatum, dis mactabant.* Potentissima scilicet numina lectisternio (Varr. ap. Non. p. 528, 15. Serv. 10, 75.) propitianda erant, Pilumnus et Picumnus, in quorum arbitrio et puerperae et infantis salus omnis verteretur. Ad alterum vero operationum genus, quod magis in precationibus et in averruncanda deorum ira versatur, popularia, quae vocantur sacra pertinent, *quae,* ut ait Labeo ap. Fest. p. 253ª., *omnes cives faciunt, nec certis familiis attributa sunt: Fornacalia, Parilia, Laralia, porca praecidanea.* His adici poterit fundorum annua lustratio seu ambarvale sacrificium cuius incomptam, sed sanctae vetustatis plenam formulam, qua Martem indigitari oporteat, Cato r. r. 141. servavit, ad quam proxime accedit carmen ap. Festum p. 210ᵇ: *avertas morbum mortem labem nebulam impetiginem.* Tibulli autem eiusdem sacri venustissimam descriptionem (2, 1.) ex ipso Camenarum sinu petitam crediderim. Multa praeterea erant ante philosophiam inventam, qua magistra nil iam mor-

talibus arduum est, quae animos hominum simplicium et omnes deorum nutus circumspectantium, aut omine terrerent aut piaculi alicuius religione sollicitos haberent: unde crebrae nascebantur feriarum privatarum causae, velut quas Macrob. 1, 16, 8. narrat: *natalium fulgurumque susceptiones, item funerum atque expiationum; apud veteres quoque qui nominassent Salutem, Semoniam, Seiam, Segetiam, Tutilinam ferias observabant; item flaminica quoties tonitrua audisset, feriata erat, donec placasset deos.* Earum autem rerum expiandarum si quis ritus minus teneret, pontifices adire oportebat, qui cum haud sane parvo auctoritatis suae incremento huic interpretandi muneri vacabant, ut conicere licet ex Dionysio 2, 73: *τοῖς τε ἰδιώταις ὁπόσοι μὴ ἴσασι τοὺς περὶ τὰ θεῖα σεβασμοὺς, ἐξηγηταὶ γίνονται καὶ προφῆται· καὶ εἴ τινας αἴσθωνται μὴ πειθομένους ταῖς ἐπιταγαῖς αὐτῶν ζημιοῦσι πρὸς ἕκαστον χρῆμα ὁρῶντες.* cl. Plut. Num. 9. Ex universo autem deorum coetu haud sane aliud praesentius et magis, ut ita dicam, familiare numen hominibus adiunctum videbatur, quam di Penates Laresque, quibus ut cotidie haud magnis caerimoniis, sed grato pioque animo rem divinam facerent mille res et ipsa domesticae vitae ratio hortabatur. Est ap. Plaut. Aul. prol. 23. Euclionis filia, quae Lari familiari *aut ture aut vino aut aliqui semper supplicat.* Cato r. r. 143. officium vilicae praecipit: *Kalendis, Idibus, Nonis, festus dies cum erit coronam in focum indat, per eosdem dies Lari familiari pro copia supplicet.* Quae sacra intra parietes occulta tacito studio diu retenta sunt, cum iam deorum templa publice clausa araeque relictae essent, donec anno p. Chr. 392. Theodosius veterum religionum

cultoribus hoc quoque ex tanto omnium rerum naufragio servatum solatiolum poena constituta eriperet Cod. Theod. XVI. 10, 12: *nullus omnino... secretiore piaculo larem igne, mero genium, penates odore veneratus accendat lumina, imponat tura, serta suspendat.*

2. Omnium horum sacrorum ea erat ratio, ut certa quadam causa oblata vel pia consuetudine suscepta facienda essent, faceret autem quilibet, cuius forte animum religio aliqua tetigisset: quamquam in universum ne homines propter superstitionem liberalius sibi feriarum causas fingerent more videtur institutum fuisse, ut pater vel mater familias familiae nomine sacrificaret; Cato certe r. r. 143. vilicae interdicit, *rem divinam ni faciat, neve mandet, qui pro ea faciat iniussu domini aut dominae. Scito dominum pro tota familia rem divinam facere.* Sed aliud fuit praeterea sacrorum privatorum genus ritu et origine longe diversum: cum enim multi patres familiarum nec sibi nec suis quidquam vel ad virtutem gravius vel ad laudem honorificentius putarent, quam si ad cultum alicuius dei quam diligentissimo se studio adplicavissent, saepenumero factum videtur, ut voto sollemni apud pontifices suscepto iureiurando se obstringerent, stato die certoque loco sacra anniversaria illi deo deae, quem nominassent, sese posterosque suos facturos. Atqui Ciceronis locus in orat. de dom. §. 132., in quo Savignyi de sacris privatis disputatio praecipue nititur (Verm. Schr. 1, p. 152.), cum ad prius illud sacrificiorum genus pertinere videatur, tutae quidem et quae persuadere possit, argumentationi aptus non est: *si quid deliberares, si quid tibi aut piandum aut instituendum fuisset religione domestica, tamen instituto ceterorum* (haec tria verba de-

sunt in cod. Par.) *vetere ad pontificem detulisses:* certius autem et propter mirificum illum morem maxime memorabile testimonium Festus servavit p. 320[a]: *at si qua sacra privata succepta sunt, quae ex instituto pontificum stato die aut certo loco facienda sint, ea sacra appellari tanquam sacrificium; ille locus, ubi ea sacra facienda sunt, vix videtur sacer esse.* Nec parvam sane, sed permagni ponderis rem susceperat, qui talis sacerdotii officio tanquam hereditario aliquo vinculo se suosque omnes obstrinxisset. Iam enim quae ab ea familia ex voto dis debebantur qui non praestitisset, antiquitus quidem haud dubie poena capitali tenebatur, postea in summa contumelia vitam retinuisse videtur, ut indicat ap. Festum Cato in ea, quam scripsit de L. Veturio de sacrificio commisso (cf. Cic. de legg. 2. §. 21.), cum ei equum ademit p. 344[b]: *quod tu, quod in te fuit sacra stata sollemnia capite sancta deseruisti*, ubi invita Minerva Müllerus *caste sancta* scribi iubet. Et officium quidem erga deos ipsius reipublicae commodis aliquantum praevertere ii certe iudicaverunt, qui milites, quibus eodem die, quo ad exercitum conveniendum esset, sacra anniversaria facienda essent, abesse paterentur, ut est in iurisiurandi formula ap. Gell. 16, 4, 4. Cum igitur in omnibus familiis sacra quaedam domestica quasi per manus tradita inde a remotissimis temporibus ad posteros propagarentur, ita ut tanquam inaudita et incredibilis res 'sine sacris hereditas' esset, non inutile erit L. Cincii sententiam cognoscere, qua nonnullorum certe eius generis sacerdotiorum originem recte explicavit, siquidem vera sunt, quae de Novensilium deorum nomine coniecit, ap. Arnob. 3, 38. cl. 39: *Cincius (Novensiles) numina peregrina*

*novitate ex ipsa appellata pronuntiat, nam solere Romanos religiones urbium superatarum partim privatim per familias spargere, partim publice consecrare, ac ne quis deorum multitudine aut ignorantia praeteriretur, brevitatis et compendii causa uno pariter nomine cunctos Novensiles invocari.* Ne vero quis miretur, quae patribus familiarum tanta potestas esse potuerit, ut quibus ipsis visum esset religionibus omnes ex sua stirpe oriundos alligarent, de hoc quidem iure ne dubitatum quidem unquam esse certissimum est, ita ut non quid sibi soli videretur, sed quod inter omnes constaret Cicero dixisse videatur de legg. 2, §. 47: *de sacris autem, qui locus patet latius, haec sit una sententia, ut conserventur semper et deinceps familiis prodantur et, ut in lege posui, perpetua sint sacra.* Quibus rebus perpensis iniuria opinor Savignyus l. c. p. 177. quae familiarum sacra recte vocari potuerint, Ciceronis temporibus ulla fuisse negavit.

3. Unum restat de tribus quae Festus p. 245[a]. commemoravit, sacrorum privatorum generibus, quod pro gentibus fieri dicit. At vero mira quadam difficultate omnem de hoc quaestionem praepeditam esse statim ab initio confitendum est. Multi enim et accurati scriptores, id quod exemplis allatis probarunt Savignyus p. 178. et Mommsen p. 13. quas gentes appellare debebant et gentilicia sacra, familias vocant et familiaria sacra, ut nisi quis Clausorum Papisiorum Vetusiorum tempora curiosius scrutetur, omnino non sit, cur in duobus illis sacrorum generibus distinguendis magnopere satagat. Cum enim temporum decursu civiliumque turbarum motibus vinculum illud ex primis reipublicae Romanae quasi staminibus deductum,

quo singulae cuiusque gentis familiae ad omnium humanarum divinarumque rerum communionem coniungerentur, magis magisque laxatum et attenuatum, nec quicquam fere nisi nomen gentilibus commune esset, sacrorum quoque societas, ita videtur paulatim labefactata esse, ut intra paucas familias, patricias praecipue putaverim, sacerdotii cura et administratio retineretur. Cuius rei praecipuum est documentum, quod Cicero Topic. §. 29., ubi qui gentiles sint, quaeque inter eos iuris aequalitas intercedat, ad sui temporis rationem modumque quaesivit, sacrorum quam commemorari maxime oportebat, communionem silentio transmisit, quod non potest non in tali definitione argumenti vim habere. Quod autem de Ciceronis in hac re neglegentia quadam Niebuhrius 1, p. 357. questus est, qua non tam ad traditam a maioribus iuris normam, quam ad ea, quae nuper iudicibus in causa Marcellorum et Claudiorum patriciorum (Cic. de or. 1, §. 176.) placuerint, sententiam suam accommodarit, habet ille, quo auctore se defendat, P. Scaevolam pontificem maximum, quem nihil ait ad illam definitionem addidisse. Quodsi quae sacra olim et re et nomine gentilicia fuerunt, ea iam Scaevolae temporibus familiarum quarundam, in quibus quasi resedissent, propria facta sunt, venia danda erit Macrobio, qui 1, 16, 7. dixerit: *sunt praeterea feriae propriae familiarum, ut familiae Claudiae vel Aemiliae seu Iuliae sive Corneliae et si quas ferias proprias quaeque familia ex usu domesticae celebritatis observat.* Cum igitur annua familiarum sacra iisdem caerimoniarum curis, eadem religionum sollicitudine, eadem denique hominum celebritate fieri consuessent, quibus solerent sacra gentilicia, qui in tanta similitudine de discri-

mine suspicetur, nodum quod dicunt in scirpo quaerere videatur (Savigny p. 177. sq.). Sicut autem omnino nulla re magis veritatis cognitio impediri solet, quam praeiudicatis opinionibus, quarum tanta in rebus humanis vis est, ut interdum etiam sagacissimorum visum et acumen hebetent, ita in hac quoque quaestione, obiecta quadam probabilitatis specie docti homines diutissime errorem foverunt pro vero. Quamquam enim ad cultum et religionem familiaria et gentilicia sacra haud multum sane differunt, certis tamen argumentis probari potest, iuris pontificii peritos invenisse, quemadmodum iure et definitione alterum genus alteri quasi adversa fronte opponerent. Qui enim pietatis et rerum divinarum non modo esse sollemnem aliquem apparatum et supellectilem putant, sed haec ipsa, si fas est dicere, dis immortalibus voluptatem quandam et oblectationem afferre, iis duplex omnino huius rei causa fingenda est: aut enim ipsi homines, quorum ea sacrificia sollicitudine et cura fiunt, qui sint, refert, quoque genere nati sint, aut solo sacrificio, dummodo rite statoque die peragatur, di contenti esse videntur. Hinc duo pontifices sacrorum genera distinxerunt, unum eorum quae certo cuidam generi hominum iam stirpe consociata et in perpetuum vitae consortium data essent, ut inde abalienari sine deorum odio et ira non possent; alterum cum eius, qui primum ea sacra facienda suscepisset pecunia et patrimonio ita coniunctum, ut quicunque illam cepisset sacris alligaretur.

Et admirari quidem magis, quam mirari decet egregiam illam et vere Romanam verecundiam animique sollicitudinem, qua de gentiliciis sacris sic sibi deorum voluntatem interpretabantur, quasi nemini illa curare vel attrectare

praeterquam gentiles fas esset. Itaque more maiorum et auctoritate pontificum constitutum erat, ut ne unquam e gente exirent et cum gente, si casus ita tulisset, una interirent. Cui rei illustrandae aptissima sunt, quae de Clodii arrogatione a Cicerone in oratione de domo summa cum religione et ea, qua par fuit, gravitate et acrimonia dicta sunt. Cum enim eum, qui modo arrogatus esset, statim emancipari res pessimi exempli esset, *cur*, ait (§. 37.), *ergo adoptabat? probate genus adoptionis, iam omnium sacra interierint, quorum custodes vos esse debetis; iam patricius nemo relinquetur.* et §. 35.: *quid? sacra Clodiae gentis cur intereunt, quod in te est?* Nec nimium aliquid dixit orator, qui sciret, neminem in alius gentis sacrorum iurisque communionem recipi novoque religionum vinculo adstringi licere, nisi soluto eo, quo suae gentis sacris coniunctus fuisset, quam ipse in orator. §. 144. alienationem sacrorum vocat, verbisque sollemnibus conceptam fuisse significare videtur: *an quibus verbis sacrorum alienatio fiat, docere honestum est, ut est; quibus ipsa sacra retineri defendique possint non honestum est?* Itaque Pulcher ille, quem nec Clodium satis recte nec Fonteium dixeris, cum gentem paternam summa cum impudentia reliquisset, culpam admissam maiori culpa reparare studens, rem subito invertit: sacra Claudiorum contra omne ius fasque retinere cupit, ut in ipsius domo tanquam in aliquo portento utriusque gentis sanctissima castissimaque sacra confusione incerta fierent. Et Cicero quidem quod 'sacra perturbata' et 'gentes contaminatas' dicit, ea vocabula ex usu iuris pontificii mutuatus videtur, de dom. §. 35.: *neque amissis sacris paternis in haec adoptiva ve-*

*nisti; ita perturbatis sacris, contaminatis gentibus et quam deseruisti, et quam polluisti*... §. 116.: *inferiorem aedium partem assignavit non suae genti, Fonteiae, sed Clodiae, quam reliquit, quem in numerum ex multis Clodiis nemo nomen dedit nisi aut egestate aut scelere praeditus* (cf. Liv. 4, 1. 7, 6. Marquardt p. 144.). Cum igitur propter singularem quandam sanctitatis dignitatisque opinionem sacra gentilicia non rebus, sed solis hominibus et genti semper coniuncta crederentur, ne mirum quidem erit, cur in iusta arrogatione, cuius, ut ait Cic. de dom. §. 38., causa pontificum decreto probata esset, sacra quidem relinqui oportuerit, pecuniam transferre licuerit, quae in eius, cui quis arrogandum sese tradidisset, potestatem haud minus, quam corpus et persona transiret. Quod primum docet Gellius 5, 19, 6: *bonaque eius, qui adrogatur, ne invidiose adpetita sint consideratur;* deinde Papinianus dig. XXXVII. 11, 11. §. 2.: *Testamento facto Titius arrogandum se praebuit ac postea sui iuris effectus vita decessit. Scriptus heres si possessionem petat exceptione doli mali summovebitur, quia dando se in arrogandum testator cum capite fortunas quoque suas in familiam et domum alienam transferat.* Una igitur sola erat sacra gentilicia conservandi ratio, ut gentes ipsae perpetuo conservarentur; cuius rei cum sive natura sive fatum dicendum est necessarios quosdam fines praescripserit, a legibus et iure hoc auxilium quaesitum est, ut senescenti stirpi novus surculus insereretur; neque iniuria videtur Cicero de dom. §. 35. gloriari, innumerabiles adoptiones hereditates nominis pecuniae sacrorum secutas esse. Sed subtristis quoque eorum audienda est vox, qui plu-

rimas vetustissimasque familias turbulentis bellorum civilium fluctibus haustas absumptasque tradunt, quam rem nimium quantum et Caesaris et Augusti iteratae ad supplendum patriciorum numerum cooptationes confirmant. De Caesare testatur Dio Cass. 43, 47: *πολλοὺς δὲ ἐς τοὺς εὐπατρίδας τούς τε ὑπατευκότας ἢ καὶ ἀρχήν τινα ἄρξαντας ἐγκατέλεξεν·* idem de Augusto 52, 42: *τὸ τῶν εὐπατριδῶν γένος συνεπλήθυσε τῆς βουλῆς οἱ δῆθεν ἐπιτρεψάσης τοῦτο ποιῆσαι, ἐπειδὴ τό γε πλεῖστον ἀπολώλει σφῶν· οὐδὲν γὰρ οὕτως ὡς τὸ γενναῖον ἐν τοῖς ἐμφυλίοις πολέμοις ἀναλίσκεται.* cf. Mercklin die Coopt. p. 20. Ex toto autem nobilium familiarum flore, quarum olim proavi nascentis Romae primordiis interfuissent, non nisi exiguas quasdam reliquias computabat Dionysius 1, 85: *ἐξ οὗ καὶ γενεαί τινες ἔτι περιῆσαν εἰς ἐμὲ πεντήκοντα μάλιστα οἶκοι.* In tanta vetustissimorum sacrorum iactura hoc tamen, quod fati quadam inevitabili lege absumpta essent, solatii aliquid afferre poterat: quanto vero luctu et moerore omnes, qui patriam salvam vellent, indoluisse credamus, cum heluonum quorundam sive avaritia sive impudentia avitas religiones abiectas locaque, ubi saepe patres deorum numen modeste salutassent, profanata viderent. Sic gentis plebeiae Attiliae sacella Cicero de har. resp. §. 32. a Sex. Serrano sublata queritur: *L. vero Pisonem quis nescit his temporibus ipsis maximum et sanctissimum Dianae sacellum in Caeliculo sustulisse? Adsunt vicini eius loci... qui sacrificia gentilicia illo ipso sacello stato loco anniversaria factitarint.*

4. Cum igitur sacris gentiliciis sua quodammodo ipsis sanctitas obesset, alteri quod supra significavimus sacrorum generi profanior sane, sed haud dubie fructuosior

aliquanto et gratiosior cum pecunia coniunctio fuit; de quo locus primarius et ad has res cognoscendas utilissima supellectili instructus extat ap. Ciceronem de legg. 2. §. 47—53., ubi subtile illud et captiosum ex iure pontificio caput, quod in eorum, quibus simul cum pecunia relicta religionum quoque pars suscipienda esset, officio et obligatione constituenda versatur, de solis familiarum sacris scriptum esse ipsius Ciceronis verbis apparet §. 47: *sit una sententia, ut conserventur semper et familiis prodantur* (*sacra*). Idemque recte censuit vetustus, quem Madvigius agnovit interpolator, hac sententia subiecta: *hoc posito haec iura pontificum auctoritate consecuta sunt, ut ne morte patris familias sacrorum memoria occideret, iis est ea adiuncta, ad quos eiusdem morte pecunia venerit.* Cum vero sacra, quae pecuniam sequerentur in eadem familia retentum iri ne sperari quidem posset, aliquando necesse est decreverint pontifices, rerum novarum alioquin haud sane cupidi, sacra familiaria licere a familia abalienari. Neque vero qui eius mutationis auctor esse potuerit antiquiorem quemquam invenio, quam Tiberium Coruncanium pontificem max. cos. 474. a. u., cuius apud Cicer. de legg. 2. §. 52. sententia hac ipsa re praecipue nititur: *placuit P. Scaevolae* (cos. 621.) *et Ti. Coruncanio pontificibus maximis itemque ceteris, qui tantundem caperet, quantum omnes heredes, sacris adligari.* Favet huic coniecturae primum, quod Coruncanius primus de plebe pontifex maximus fuit, familiarum autem sacra plebeiorum maxime sunt (Leist die bonorum possessio 1, p. 13.), qui gentium nomina magis, quam iura usu ceperunt. Deinde vero si a Ti. Coruncanio familiarum sacra promiscua quodammodo facta sunt, miri-

fice fabula de Potitiorum interitu, quid sibi velit, explicatur: di scilicet ipsi propter sacra a gente abalienata omnem illam stirpem funditus extinxerunt; quae res eo probabilius a patriciis fingi potuit, quod Appii Claudii censura (442. a. u.) non recentissimae memoriae erat et neminem de gente nobilissima superesse prodigio simile volgo videbatur. Huc accedit quod e finitimis populis ii, qui cum in civitatem et fidem reciperentur, sua sacra retinuissent (Fest. p. 157[a], 21. Ambrosch Stud. u. Andeut. p. 179—81.), alio longe iure utebantur; ad hos enim omnes spectare putaverim quod de Arpinatibus Cato ap. Priscian. 7, p. 762. tradit: *si quis mortuus est Arpinatis, eius heredem sacra non secuntur*, ubi heredem apparet exterum heredem esse sicut in formula sepulcrali: *hoc monumentum heredem non sequitur* (Orell. 4393. 4425. cl. 4397. et Henzen vol. 3, 7338.).

Aliam paululum in sacrorum, quae heredem sequi oporteat, ratione definienda Leistius bon. poss. 1, p. 10. et 42. sententiam secutus est. qui quoniam sacra familiaria parum credibile sit a familia abalienari licuisse (p. 11.), nulla nisi quae pro singulis hominibus fierent, revera perpetua esse potuisse contendit: in his enim esse, quae fas sit heredem cum pecunia suscipere, sepulcralia sacrificia ad tumulum quotannis facienda (p. 15.), Parentalia praecipue, opinor, et Rosaria (Marquardt p. 258.). Huic rationi duae maxime res obstant: primum enim sacra quod a pontificibus perpetua esse iubentur, ad familiarum sacra spectare luculenter Ciceronis verba ostendunt de legg. 2. §. 47: *ut . . . deinceps familiis prodantur et . . . perpetua sint sacra.* Alterum est, quod sepulcra nisi quae hereditaria essent, a familia abalienare non licebat. Legem

enim ap. Ulpianum dig. XI. 7, 6. (cl. cod. III. 44, 4.), qua omnibus heredibus ius inferendi cum in hereditariis tum in familiaribus sepulcris conceditur (Leist p. 16.), eam minime vim habuisse, ut familiaria quoque sepulcra ad exterum heredem transferri potuerint, et Gai et Ulpiani verba documento sunt, quibus accuratissime utrumque genus distinguitur dig. XI. 7, 5. 6: *Familiaria sepulcra dicuntur, quae quis sibi familiaeque suae constituit; hereditaria, quae quis sibi heredibusque suis constituit, vel quod pater familias iure hereditario acquisivit.*

5. Hac igitur norma constituta, ut sacra cum pecunia coniuncta essent, omnium, qui aliquam bonorum partem cepissent, iura diligenti praescriptione definita sunt, quae quamvis, ut Cicero de legg. 2, §. 52. docet, nulla lege, sed solis pontificum decretis niteretur, iustae tamen legis auctoritate semper praedita fuit. Qua de causa duas omnino illi formulas ad ius civile accommodatas composuisse videntur, alteram brevem et antiquae simplicitatis, quam Ti. Coruncanii putaverim, alteram auctiorem maturiorisque iam disciplinae specimen, cuius Scaevolam auctorem dicit Cicero. Et priorem quidem ante legem Voconiam (585. a. u. Bachofen die lex Voc. p. 11.), imo ante Furiam (571. a. u. Gai. 2, 225.) scriptam esse, facile apparet ex pecuniae, quae legari possit magnitudine, Cic. de legg. 2, §. 49: *Nam illi quidem* (antiqui) *his verbis docebant tribus modis sacris adstringi: hereditate, aut si maiorem partem pecuniae capiat, aut si maior pars pecuniae legata est, si inde quippiam ceperit.* Heredem sacra suscipere iustissima fuit et sola, opinor, ante Ti. Coruncanium usitata ratio. Secundo loco quod sacris

adligari dicitur, qui maiorem partem pecuniae ceperit patet ea definitio paulo quidem latius, nam, ut ait Cicero topic. §. 29., *multis modis sine hereditate teneri mortuorum pecuniae possunt.* Duas vero maxime successorum personas significari, eum, qui usu pro herede ceperit, quique bonorum possessor iure praetorio factus sit, apparet ex iis, quae in Scaevolae formula reperiuntur ap. Cic. l. c. §. 48: *si nemo sit heres, is, qui de bonis, quae eius fuerint, quum moritur, usu ceperit plurimum possidendo,* quae quid sibi velint egregie Savignyus p. 158—65. coniectura assecutus est, a Gaio nondum adiutus, cuius maxime totus hic locus testimonio illustratur. Nam si iure civili heres nemo esset, vel is, qui scriptus esset cunctaretur, cuivis vacua defuncti bona occupare annuaque possessione usucapere licebat, '*hereditariae enim rei furtum non fit*' (XLVII. 2, 68.). *Quare autem,* ait Gaius 2, 55., *omnino tam improba possessio et usucapio concessa sit, illa ratio est, quod voluerunt veteres maturius hereditates adiri, ut essent, qui sacra facerent, quorum illis temporibus summa observatio fuit, et ut creditores haberent, a quo suum consequerentur. Haec autem species possessionis et usucapionis etiam lucrativa vocatur, nam sciens quisque rem alienam lucrificavit.* Et hoc quidem fortuitae et violentioris paululum usucapionis genus, quamquam Ciceronis tempore hauddum obsoletum, ut vel ex hac una interrogatiuncula intelligitur pro Flacco §. 85: *Tu, T. Vetti, si quae tibi in Africa venerit hereditas, usu amittes, an . . . retinebis?*, paulatim tamen pedetemtimque aequiori praetorii iuris rationi locum dedisse videtur. Praetor enim liberaliore longe, quam quae in iure

civili erat, ratione usus, si pater familias intestato mortuus esset, verbis et ordine successori edicti (dig. XXXVIII. 6—11. Gai. 3, 25—31.) primo loco cum suis heredibus liberos emancipatos *(unde liberi)*, secundo loco agnatos proximos et consanguineos *(unde legitimi)*, tertio cognatos proximos *(unde cognati)*, quarto virum vel uxorem superstitem *(unde vir et uxor)*, contra tabulas autem suos praeteritos ad hereditatem vocabat, quorum omnium possessiones post annuum usum dominium sequebatur; in omnibus enim rebus hereditariis, ut ait Gaius 2, 54., annua usucapio remansit. Iam vero sacra familiaria in lucrativa et improba usucapione fieri non potuit, quin e familia defuncti exirent, idemque factum sit necessarium est in bonorum possessione unde cognati vel cum ad feminas agnatas liberosve, qui in adoptiva familia essent, hereditas rediisset, quorum nemo veteri et stricto iure civili ad intestati bona admittebatur ut docet Gai. 3, 20. 24.

Iniquum haud dubie pontificibus visum est, heredem, cui testator, dum patrimonium legatis exhaurit, reliquisset quantulum visum esset, sacris insuper adstringi, quae iustius ad eum pertineant, qui, si maior pecuniae pars legata esset, plurimum inde cepisset (Cic. l. c. §. 49.). Paulatim vero summos in republica viros tantum illius licentiae, quae, ut facile apparet, socia semper et ministra luxuriae et libidinis, rei vero familiaris populatrix et calamitas fuit, taedium cepisse videtur, ut quod XII. tabulae liberum cuique reliquissent, tandem legibus ordinandum putarent. Latae igitur sunt leges primum Furia, in qua parum praesidii inesse mox intellectum est: deinde Voconia, qua duobus simul iuris hereditarii vitiis medicina parabatur. Priore enim capite cautum erat, ne mulier, ut ait

Gaius 2, 274., ab eo, qui centum milia aeris census esset, heres institueretur, cum quo consentit Cicero Verr. 1, §. 107. et Ascon. p. 188. Or. De alterius vero sententia pugnant inter se, quae a Cicerone et Gaio referuntur. Nam ille Verr. 1, §. 110. cum dicat: *quid, si plus legarit, quam ad heredem heredesve perveniat, quod per legem Voconiam ei, qui census non sit, licet?* semissem tantum legatis erogari licuisse planissime docet. Gaius contra salva lege in frusta hereditatem secari potuisse queritur 2, 226: *lex Voconia, qua cautum est, ne cui plus legatorum nomine mortisve causa capere liceret, quam heredes caperent . . . set tamen fere simile vitium nascebatur, nam in multas legatariorum personas distributo patrimonio, poterat adeo heredi minimum relinquere.* in quo Gaium, ut acute intellexit Mommsenus Krit. Jahrb. 1845, p. 11., opinio fefellit, qui nesciverit, non singula legata, sed omnium summam partem heredi relictam aequare licuisse. De sacris autem ne qua in pari heredum legatariorumque obligatione dubitatio nasceretur, Scaevolae formula ap. Cic. l. c. §. 48. eum adstringi iubebat, *qui morte testamentove eius tantundem caperet, quantum omnes heredes,* quo praecepto non tolli heredum obligationem, sed cum legatario communicari Savignyus p. 156. sibi persuasit et Huellmanno das ius pontific. p. 72.; verum tam fortuitam cultus et religionum coniunctionem vereor ne Romani singulari verecundia tanquam 'perturbationem' aliquam sacrorum semper aversati sint. Bachofenus contra, die lex Voc. p. 19 et 51. solas legatariorum personas adligari censet: quod vero integri singulis successoribus semisses legatorum nomine vel mortis causa donatione concedi dicantur, id ad mulieres

praecipue spectare, quas quamvis propinquo testatori gradu coniunctas heredes tamen instituere per ipsam Voconiam legem non licuerit. Et legata quidem per partitionem usque ad legem Papiam Poppaeam (762. a. u.) cum probabile est ad mulieres tantum non omnia pertinuisse, tum exemplis confirmatur, velut Cic. p. Cluent. §. 21: *heredem fecit Oppianicum . . . eumque partiri cui Dinaea matre iussit.* p. Caecin. §. 12: *in partem mulieres vocatae sunt* (cf. Rudorff ad Puchta Inst. 3, §. 308 t.). De causa vero cur partiarios legatarios sive legatarias dicendum est, in sacra succedere Scaevola iusserit, dubitari potest. Valuisse apud eum, dicit Bachofen p. 53., quod uxor, quae in manum convenisset, et filia familias bonorum ab intestato iure civili heredes fuerint. — At vero si sacra familiaria hac ratione in sinu familiae retineri posse sibi persuaserat, cur idem ille P. Mucius quemadmodum sacra effugere possent, arguta et subtili ratione illas docuit (Cic. l. c. §. 51. 53.)? — Mulierculararum fortasse eum miserebat, quibus solatiolum orbitatis suae vel ex minima parte minuere nefas putaret. — Atqui lex Voconia non pertinebat nisi ad eos, qui in prima classe censi essent. Quamobrem sic sibi Scaevolam persuasisse putaverim: si heredes plures cum uno legatario partirentur, eum aequum esse sacra suscipere, ad quem plurimum pecuniae pervenisset. Quo vero hoc laudabilius iustiusque constitutum est, eo magis Ciceroni astutiae fallaciarumque nomine notandus esse visus est, quod rursus, praestigiis quibusdam obiectis, quemadmodum legatarius liberaretur, heredes obstringerentur monstraverit, nam, ait ille de legg. 2, §. 50., *dant hoc Scaevolae, quum est partitio, ut si in testamento deducta scripta non sit,*

*ipsique minus ceperint, quam omnibus heredibus relinquatur, sacris ne adligentur.* cf. §. 53. Quid quod solutis per aes et libram heredibus et stipulatione interposita, ne opus quidem videbatur, ut aliquid de pecunia legata remitteretur (Cic. l. c. §. 51.)? Quae omnia Scaevola non excogitasse videtur, quo vetustum ius noviciis artificiis eluderet, aut singulari quadam comitate legatariorum personis patrocinaretur, sed — id quod dignum pontifice maximo fuit — quod sacrorum religionibus praecepta illa utilia et salubria fore haud improbabili coniectura statuit. Quamquam enim Cicero l. c. in universum heredes appellat, Scaevola ipse dubitari nequit, quin de eius praecipue heredis persona cogitaverit, qui a testatore virili prole destituto in nomen familiamque testamentaria adoptione adscitus esset. Multa quidem huic adoptionis generi, quod sollemnibus caerimoniis, conceptis verbis, magistratuum denique pontificumque interventu et auctoritate careret, ad iustae adoptionis vel arrogationis vim deerat, ita ut Dirksen Versuche p. 82. recte ab illa adoptati persona agnati gentilisve iura abiudicarit, consequebantur tamen testatores quod multis hominibus magnum solatium videri solet, ut esset, qui ipsorum nomen ad posteros propagaret memoriamque filii loco coleret. Nec desunt si quis nobilitate delectetur, splendidissima nomina. Cic. Brut. §. 212: *Crassum inquam ... istius Liciniae filium* (ex P. Scipione Nasica), *Crassi testamento qui fuit adoptatus.* Plin. 35, 2. §. 8. *similis causa Messalae seni expressit volumina illa, quae de familiis condidit, cum Scipionis Pomponiani transisset atrium vidissetque adoptione testamentaria Salutiones* (cf. Plut. Caes. 52.) *Africanorum*

*dedecori irrepentes Scipionum nomini* (Brisson. de form. 7, 26.). C. vero Octavii adoptionem, quem C. Caesar ex dodrante heredem instituerat nomenque ferre iusserat, lege curiata post iteratas tribunorum intercessiones tandem lata, arrogatio secuta est; quod non ex more volgari, sed ut in Caesaris libertos ius patroni consequeretur Octavianum petiisse dicit Appianus bell. civ. 3, 94., maiorum etiam rerum spe ductum suspicatur Dio Cass. 45, 5. Si quis igitur pater familias unum ex heredibus adoptasset, filiam autem vel uxorem tantundem, quantum omnes heredes legati nomine capere iussisset, cogi quidem ad sacra suscipienda Scaevola adoptivum filium nolebat, viam tamen ac rationem demonstravit, qua facili negotio, quod pietati conveniret, illi vel permitti vel mandari posset. Nam esse aliquem, qui nomen defuncti ferret magnamque bonorum partem possideret, quem filii loco testator sibi esse voluisset, nec tamen sacra quicquam ad se pertinere crederet, non poterat non indignum et impium videri. Strenui igitur pontificis officio Scaevola functus est, quod sacra, quoad eius fieri posset, cum nomine familiae coniuncta esse voluit; neque enim talem virum latere potuit, cultum rerum divinarum, quas hominum verecundia quasi aliqua luce et claritudine sanctitatis et religionis circumfundit, si in modum vilis mercimonii ab aliis ad alios transferatur, profanari paulatim et hominum negligentia ac socordia extingui.

Tres hucusque succedendi modos consideravimus, unde sacrorum suscipiendorum necessitatem nasci P. Scaevola praeeunte Ti. Coruncanio docuerat: primum summoque officio heres adligabatur, deinde (nam invertit Scaevola ordinem ap. Cic. l. c. §. 48.) cum dimidia pars bonorum

legata esset vel, quem malebat pontifex, heres adoptivus, simul a testatore institutus; tertio loco qui usucapione improba vel possessione a praetore data plurimum pecuniae cepisset. Non substitit in his Scaevola, sed duas adiecit species, quas Coruncanius aut repudiaverat, aut ne noverat quidem. Cic. de legg. 2. §. 48: *Quarto si nemo sit, qui ullam rem ceperit, de creditoribus eius qui plurimum servet. Extrema illa persona est, ut si quis ei, qui mortuus sit, pecuniam debuerit neminique eam solverit, proinde habeatur, quasi eam pecuniam ceperit.* Sicut autem aequissimum sane videtur, debitorem, qui mortuo creditore nec quoquam pecuniam reposcente veteris iuris liberalitate (Savigny p. 170.) obligatione solutus esset, sacra suscipere, ita iniquius paulo creditores, qui non modo lucri nihil, sed vel iacturam interdum venditis defuncti bonis facerent, sacrorum cura et sumptibus Scaevola onerasse videri potest. Verum ne hanc quidem constitutionem, si modo recte intelligatur ab aequitate abhorrere subtiliter Huschkius Nexum p. 91. significavit. Fieri enim potuisse ut creditores, qui familiam in partes secarent, plus pecuniae, quam credidissent, acciperent, lex XII. tabularum ostendit Gell. 20, 1, 49: *Tertiis nundinis partis secanto. si plus minusve secuerunt, se fraude esto.* Quod igitur a Scaevola creditores adstringi iubentur, non spectat nisi ad eos, qui cum heres nullus extaret, bonis defuncti divisis plurimum lucri fecissent.

# CONSPECTUS.

## SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

Prodigia in oppidis Italicis facta quod non domi, sed Romae a pontificibus vel X viris sacrorum procurabantur hanc rationem habet, quod cum omnia veterum populorum sacra aut cultu aut expiatione constent, Romani ex sacris a victis populis sibi traditis (Liv. 1, 38. 8, 14. 26, 24. 28, 34. Ambrosch Studien p. 181), piacularia sibi reservarunt, ea quae cultui destinata erant, victis reddiderunt.

II.

Detestatio et obtestatio cum partes sint sollemnis precationis, in quam omne iusiurandum exit (Paulus Festi p. 184. M. s. v. obtestatio. Danz der sacrale Schutz p. 6), sacrorum quae vocatur detestatio fieri non potest, quin eius iusiurandum sit, qui in arrogationis sollemnitate (Gellius 15, 27, 3. 5, 19, 6) caput suum detestatur, nisi sacrorum ab arrogatore susceptorum curam et caerimonias rite observaverit. Est enim in ea formula eadem breviloquentia, qua aput Cic. pro Balbo §. 33. 'obtestatio legis' et de domo §. 125. 'obtestatio tibicinis' vocatur.

III.

Philoxenus grammaticus in libro *περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων* (Etymol. magn. p. 521, 42) de Graeci sermonis origine, non spernendo profecto istis temporibus conamine, ita philosophatus est, ut omnes verborum, quae per tempora declinantur, formas ex tot monosyllabis perispomenis ortas statueret, quot efficiuntur, si singulas Graeci sermonis consonas ac ex iis, quae componi possunt, binas cum *ω* circumflexa coniunxeris.

IV.

In iis, quae apud Choeroboscum in dictatis ad Theodosii canones p. 27—88 ed. Gaisf. vol. I. extant, canones ab Herodiano in Ὀνοματικῷ positi integerrime servati sunt.

V.

Apud Varronem de l. L. X. §. 21 sic transponendum est: *specie* (*genere* cod.), *ut si nomen est, quod conferas, cum quo conferas sit nomen: genere* (*specie* cod.) *simile, ut non solum, sed utrumque sit virile.*

VI.

Apud Nonium p. 72. v. algu pro algore ex Varronis satura ἔχω σε ἢ περὶ τύχης (p. 129 Oehler) hi versiculi extare videntur:

*Teges, pruina ne iacentem sub Iove*
*Adbetat algu mordentique frigore.*

(*subdealbet danti f.* codd. de *sub Iove* pro *sub diu* conf. Afranii versum ap. Ribb. v. 105 et Lachmann ad Lucr. p. 227).

VII.

In Festi lexico quae ex Aelii Galli libris de significatione verborum, quae ad ius civile pertinent, sumpta sunt, non a Verrio Flacco, sed ab ipso Festo inserta sunt.

VIII.

Calculi de cursu lunae ap. Gellium 3, 10, 6 propositi non Aristides quidam Samius, quem librarii voluerunt, auctor est, sed de quo iam Fabricius Bibl. gr. III. 5. p. 90. suspicabatur, Aristarchus Samius, cuius liber περὶ μεγεθῶν καὶ ἀποστημάτων ἡλίου καὶ σελήνης extat.